BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XV
C
12
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# ACTA
# APOSTOLICÆ
## LEGATIONIS
# HELVETICÆ

AB ANNO MDCCXXIII.

AD ANNUM MDCCXXIX.

Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

*I. Ad Timoth. IV.* 13.

2

Biblioteca Nazionale NAPOLI V.E. III

TUGII,
EX OFFICINA FRANCISCI LEONTII SCHELL,
MDCCXXIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

# PRÆFATIO.

„Non affectamus laudes hominum,
„nec vituperatores expaveſcimus,
*S. Hieronym. Præfat. in Libr. Eſther.*

NEmo rerum geſtarum naturam & temporum ordinem ſecum animo repetens, ignorare poteſt, eo ſtudio, & conſilio à ſummis Pontificibus ad Catholicos Helvetiæ Pagos Apoſtolicam Legationem conſtitutam fuiſſe, ut ij, quibus exercendi difficillimi hujus muneris ratio defertur, maximè huic officio convenire intelligant, ea omnia diligentiſſimè executioni mandanda eſſe, quæ ad aſſerendam, fovendamque Catholicam fidem præci-



pué

Digitized by Google

puè conducunt. Hæc inter primas facilè partes ſibi vindicat gravis & conſtans Eccleſiaſticæ atque Monaſticæ diſciplinæ cuſtodia, quæ optimis ſanctiſque inſtitutis, tanquam habenis, animos moderatur, & retinet, ne erroribus labefactati delabantur in vitia, quorum vis, pravæ conſuetudinis veneno, adeò mentes inficit & cæcitate perſtringit, ut *inſipientes* tunc divinitati infenſos Propheta nobis oſtendat, quùm *corrupti*, & *abominabiles* facti in ſtudiis ſuis omnium cupiditatum frena laxarent. Humanum quippe genus antiquo vulnere ſauciatum, & ad mala quæque propenſum, optimis legibus erat coercendum, quæ recta jubentes, vetarent delinqui, & debitas à delinquentibus pœnas repeterent. Quamobrem ſicuti in omni civili ſocietate, quæ vel unius, vel multorum imperio regitur, ad publicam tranquillitatem comparandam, ordinemque tuendum leges feruntur; idem quoque obtinet in Eccleſia DEI, ubi in ſuo quiſque ſtatu, quam ipſe gerendam ſuſcepit perſonam, eam ſemper ad præſcriptionem quandam, & normam dirigere

re debet, quâ ſuſcepti muneris partes & conditiones certis veluti finibus continentur. Quùm autem ab hac regula longè aberramus, ad hanc vitæ noſtræ inſtitutum ſedulò revocare debemus, & providere ne contrarijs noſtris moribus legum auctoritas diſſolvatur. Hìc omnes cogitationes ſuas, curasque retulerunt omnium ſæculorum Antiſtites, illique inprimìs, qui ea, quæ JESU Chriſti erant, ſemper quærentes, nihil antiquius habuerunt in paſcendis ovibus, quàm ea fortiter tueri, quæ ad rectam vitæ, & diſciplinæ inſtitutionem ſpectare videbantur. Cui enim non ſunt auditæ S. Cypriani vigiliæ, qui, quantum in ejus animo divini roboris erat (erat autem maximum) tantum adhibuit in aſſerenda Eccleſiæ diſciplina, nec minorem vim exercuit in cohibenda illorum licentia, qui falsâ pietate ad ſubdolas quorumdam lapſorum preces, in animarum perniciem ſe inflectebant, quam ubi Tyranni duritiem morte ſuâ fortiſſimè fregit, debellavitque: cui rei teſtimonia ſunt graviſſima ſcripta, quibus poſterorum memoriæ diſciplinæ bona copiosè, pro more, & ornatè com-

mendavit:

Digitized by Google

mendavit. „ Diſciplina , inquit , ( quam ſæpe Deificam appellat , ) „ cuſtos ſpei , retinaculum fi-„ dei , Dux itineris ſalutaris , fomes ac nutrimen-„ tum bonæ indolis , magiſtra virtutis , facit in „ Chriſto manere ſemper , ac jugiter Domino vi-„ vere , & ad promiſſa cæleſtia , & ad divina præmia „ pervenire ; hanc & ſectari ſalubre eſt , & aver-„ ſari , ac negligere lætale. Quapropter Tridentini Patres cauſsâ fidei primùm divinitùs aſſertâ , in negotio ſanctæ Reformationis poſtmodùm totâ mente defixi , nihil eorum intentatum reliquerunt , quæ ad illius ævi debellanda tot mala ſatis eſſe potuiſſent , & Apoſtolicorum Præſidum voce firmati , ad opem , & præſidium labantis diſciplinæ alacriter concurrerunt. Quùm verò nihil magis populorum ſaluti conferre animadverterent , quàm componere vitam eorum , qui alijs verbo , & exemplo præeſſe debent , in id præcipuè incubuerunt , ut qui Eccleſiaſticæ , & Monaſticæ militiæ nomen darent , perfectâ vivendi normâ ceteris prælucerent. Unis quidem divino miniſterio conſecratis leges de vitæ hone-

ſtate

ſtate, jam olim latæ, iterùm præſcribuntur; alteris verò ad Regulam, quam profeſſi ſunt, vitam inſtituere præcipitur: quæ quidem duo (quantum diligentiſſimè animo conniti poſſumus) conſiderare, & contemplari debemus. Etenim ubi agitur de vita Clericorum, non quædam tantùm leges recens rogatæ, aut temporibus accommodatæ, ſed quæ aliàs à Summis Pontificibus, & ſacris Concilijs copiosè, & ſalubriter ſancitæ fuerunt, omnes inſtaurantur; & ne chartis tantùm illinitæ ſpem aliquam impunitatis præberent, ijſdem pœnis olim inflictis, vel majoribus, arbitrio Epiſcoporum imponendis, obſervari impoſterùm mandantur; immò ſi quæ in deſuetudinem abijſſent, eæ quamprimùm in uſum revocantur, ut ab omnibus (quod caput eſt) accuratè cuſtodiantur; non obſtantibus conſuetudinibus quibuſcumque, ne ſubditorum neglectæ emendationis, ipſi Paſtores condignè (DEO vindice) pœnas perſolvant. Quod verò ad Regulares attinet, ijdem Tridentini Patres ſapientiſſimi neceſſarium eſſe cenſuerunt, ut ad præſcriptum Regulæ, quam ipſi profitentur,

vitam

Digitized by Google

vitam componerent, quò faciliùs & maturiùs ubi collapſa erat, vetus & Regularis diſciplina inſtauraretur, ac conſtantiùs perſeveraret, ubi erat conſervata. Hæc quæ modò in unum collecta (licet ferè omnia ſeorsùm jam pridem edita) prodeunt publica Acta, hiſce æquiſſimis, & ſanctiſſimis legibus, nedum PERSONIS, REBUS, ET LOCIS maximè conſentanea videntur; nec ſua fortaſsè utilitate vacabunt, apud eos præſertìm, qui cæcâ carpendi libidine, ſibi fingunt Apoſtolicæ Sedis Miniſtros alto ſopore detentos, muneri ſuo indormire, quaſi levibus occupationibus impediti, illos omnes, quos tutari, & emendare deberent, deſertos iri, & ad interitum ruere oſcitantèr paterentur. Sed meliora ab iſtis hominibus (qui fabulis ſæpe ducuntur) ſperare fas erit, quùm animum hoc errore deceptum, ad veritatem, horumque Actuum lectionem benignè diligenterque traducent.

Datum Altorfij Uriorum prope Lepontios, IV. Idus Septembr. MDCCXXIX.

ARTI-

# ARTICULUS XII.

LIBRI V. VITÆ

# S. CAROLI BORROMEI,

## A GLUSSIANO ITALICE CONSCRIPTÆ,

*LATINE VERSUS.*

EA fuit erga Helvetos ac Rhætos S. Caroli ſollicitudo, ut ad promovendam ſtabiliendamque in eorum Terris Catholicam fidem, diligentiſſimè curaverit S. Sedis Apoſtolicæ Legatum ibi conſtitui, qui ſpirituali horum populorum regimini quoque præeſſet, regiones illas paſtorali curâ viſitans, omnibusque Pontifi-



Digitized by Google

ciâ providens auctoritate. Negotia enim, quæ adEccleſiam ſpectabant, tunc temporis illìc ferè jacebant. Id autem exiſtimavit S. Antiſtes præcipuum eſſe Nuntij Apoſtolici munus, ut Eccleſiaſticis rebus primùm, ceteris demùm incumberet. Quapropter cum Gregorio XIII. ſedulò egit, ut hæc provincia Joanni Franciſco Bonhomio committeretur. Optimè quippe noverat Sanctiſſimus Præſul quantâ prudentiâ ſe geſſerat Vercellenſis Epiſcopus in Viſitatione Novocomenſi, atque inſuper perſpectas habebat ceteras ejus virtutes, egregiasque animi dotes, quum ab ipſomet exordio Pontificatûs Pij IV. ſui avunculi, illum miniſtrùm, domeſticum & familiarem habuiſſet. &c.

INDI-

Digitized by Google

# INDICULUS ACTORUM.

SERMO I. De Abbatis Coadjutoris electione ritè inſtituenda, ad Monachos Campidonenſes in Suevia, habitus ad Aram Principem Eccleſiæ ejuſdem Monaſterij IV. Non. Sept. Anno MDCCXXIII. Miſsâ abſolutâ, & omnibus, qui ſuffragij jus habebant ſanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramento refectis.

SERMO II. De Abbatis electione, ad Monachos Monaſterij Murenſis in Helvetia, habitus eodem modo, V. Kal. Octobr. MDCCXXIII.

SERMO III. De Sacerdotum dignitate, habitus in Eccleſia S. Leodegarij Lucernæ IX. Kal. Aprilis. Anno MDCCXXIV. Apoſtolicâ Sede vacante. *Agitur quotannis Decreto Senatûs ſolemnis memoria*

*de Urbe ab igne liberata tempore Julij II. Pont. Max., & ſermo habetur, de more, tam Latinè, quàm Germanicè de dignitate ſacerdotali.*

Sermo IV. De Abbatis electione, ad Monachos Monaſterij Diſſertinenſis in Rhætia, habitus in Capitulo ante ſcrutinium IV. Kal. Jun. Anno MDCCXXIV.

Sermo. V. De eodem argumento, ad Monachos Fabarienſes prope Sarunetos, habitus eodem modo IV. Idib. Julij. MDCCXXV. *Abbates, ad quos ſermones habiti ſunt, S. R. Imperij Principum dignitate decorantur.*

Sermo. VI. in Benedictione Antiſtitæ Parthenonis Seedorſenſis Ordinis ſancti Benedicti in Republica Uranienſi, habitus inter Miſſarum ſolemnia Dominica III. poſt Pentecoſtem, X. Kal. Julias Anno MDCCXXVII. & Germanicè à Diacono redditus. *Hic enim mos aliquando fuit Joannis Bonhomij, Celeberrimi Vercellenſis Epiſcopi,*

Digitized by Google

*Epiſcopi, quum tempore S. Caroli hùc Apoſtolicâ Legatione fungeretur.*

Sermo VII. In conſecratione Epiſcopi Abderitani, Coadjutoris Baſileenſis: *non habitus, quia conſecratio poſtmodùm peracta fuit in Diæceſi Biſuntina extrà fines Legationis Helveticæ; Sed hic, propter argumenti magnitudinem utilitatemque minimè prætermitti debuit; quandoquidem in eo dignitatis Epiſcopalis fundamenta ponantur, parteſque præcipuæ recenſeantur.*

Epistola Encyclica I. Ad Epiſcopos Conſtantienſem, Baſileenſem, Lauſannenſem, Curienſem, & Sedunenſem, de opuſculo, cui Titulus: *Monita ad continendos Sacerdotum mores.*

Epistola II. Ad eoſdem, de Cardinalis Vincentij Mariæ Urſini electione in Summum Pontificem.

Epistola III. Ad eoſdem Epiſcopos, de Inſtructionibus Sancti Caroli Borromæi ad Confeſſarios.

Epistola

Digitized by Google

EPISTOLA IV. Ad Viſitatores Congregationis Helveto - Benedictinæ de nova editione Pſalterij Venerabilis Servi DEI Joſephi Mariæ Cardinalis Thomaſij. *Prodijt hoc Pſalterium Typis Monaſterij Einſidlenſis prævià hàc eàdem Epiſtolà.* Accedit Indiculus Inſtitutionum Theologicarum Veterum Patrum confectus ab eodem Venerabili Servo DEI.

DECRETUM, ne Sacerdotes pulvere (ut vocant) cyprio aſperſi, accedant ad Altare.

DECRETUM de nova Regulæ S. Patris Auguſtini, & antiquarum conſtitutionum Hoſpitalis Monaſterij SS. Nicolai & Bernardi in Monte Jovis, editione curanda.

JOANNIS GEORGIJ AB ECKART, V.C. Epiſtola de ſua converſione ad Catholicam Fidem, cum Auctoris Reſponſo, & cum Præfatione viri doctiſſimi Juſti Fontanini, nunc Archi - Epiſcopi Ancyrani, *Ad exemplar editum Romæ, Anno MDCCXXIV. ex typographia Hieronymi Mainardi, Præſidum permiſſu.*

Roberti

Roeerti Bellarmini, ex Societate JESU, S. R. E. Cardinalis, Admonitio ad Epiſcopum Theanenſem Nepotem ſuum, de ijs quæ neceſſaria ſunt Epiſcopo. *Ad Exemplar editum Romæ, Typis Joſephi Corvi & Bartholomæi Lupardi, Impreſſ. Camer.* Anno MDCLXXVII. Præfigitur Monitum, quo novæ hujus editionis occaſio declaratur.

Admonitio atque hortatio Legatorum Sedis Apoſtolicæ ad Patres in Concilio Tridentino, lecta in prima Seſſione.

Digitized by Google

# SERMO I.

Digitized by Google

# SERMO I.

## AD MONACHOS CAMPIDONENSES.

## PAX CHRISTI.

AFfulſit tandem & mihi & vobis, Dilectiſſimi in Chriſto Filij, illa omnium votis exoptatiſſima dies, quæ communis noſtræ cauſſa lætitiæ, exultare & lætari nos jubet in Domino, cùm talem tantamque diem a ſolo Domino factam fuiſſe agnoſcamus. Quis enim in corda veſtra, in quæ inimicus homo Zizania ſuperſeminaverat, ſpiritum pacis & charitatis infundere potuiſſet, niſi Ille Unus, in cujus manu ſunt corda noſtra, & inclinat ea, quocunque vult? Quis poſt tot, & tam diuturna diſſidia, inteſtina bella, & ſævos adeò, terribi-



Digitized by Google

leſque curarum æſtus, animos veſtros ad hanc ſanctam concordiam traduxiſſet, niſi pacis Auctor, quo imperante, in turbulentiſſimo omnium moleſtiarum pelago ſemper exoritur tranquillitas magna? Hinc commodam vos alloquendi occaſionem nanciſcar: Sed funeſtiſſimam elapſi temporis faciem ante oculos veſtros ponere non aggrediar, in quo nemo ſane fuit, qui amariſſimam diviſionem inter membra Chriſti, ruptis fraternitatis legibus, cujus vinculum eſt charitas, non ægerrimè tulerit; nemo, qui illata diſciplinæ Monaſticæ tam fœda & lethalia vulnera non defleverit; nemo tandem, qui memoria repetens exordium tanti mali & contentionis originem, in hæc pœnitentiæ clauſtra ambitionem de ſæculo fortaſſe irrepſiſſe non ſenſerit; Tam acerba rerum recordatio, præſentis diei jucundiſſimum gaudium in luctum verteret, altiùs mœrorem meum renovaret, & mentem veſtram moleſtiſſimis cogitationibus obrueret. Diu preſſi, diu texi dolorem, dilectiſſimi Filij; ſed mihi hodie ante DEI Altaria diſſimulare non licet, illos ipſos, qui utrinque ex cætu veſtro, initio Legationis meæ

meæ, me convenerunt, non ignorare quæ conſilia, quas preces (ne dicam lacrymas) ego effuderim, ut eos in ſinum ſanctæ unitatis pertraherem. Interrogate illos, utrumne aliquid a me neglectum fuerit, quod ad ſarciendam concordiam facere videretur; Utrumne (ut verbis utar Prophetæ) veritatem abſconderim in corde meo? Nolui diffidentium genio blandiri, ubi vera loqui decuit; Chriſtus enim ſic loqui juſſit liberum Sacerdotem & ſacro-ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Matris noſtræ Miniſtrum de cultu DEI, & veſtro bono diu noctuquè ſolicitum. Veſtrorum corda, veſtrorum fidem hic in medio veſtrûm libens obteſtor, paratus publicam mendacii notam ultro ſubire, ſi aliquid mihi excidit, quod veritati undequaque non fuerit conſonum. Cumque Petri Decreta ſemper inconcuſſa & immota eſſe debere conſtantiſſimè prædicaverim, arguat me aliquis non ita factum, aut aliter fieri unquam potuiſſe, jure me doceat.

Hæc ſtrictim commemoranda fuerunt, ut quemadmodum verborum meorum fidem integram jam

accepiſtis , pari pacto in hac proxima Electione, certa & ſincera monita vobis inculcem : Quibus, ſi pronam , ( ut minimè dubito , ) & facilem voluntatem adcommodaveritis , confido fore , eam vos à Divina Clementia benedictionem conſecuturos , quæ ſuffragiis veſtris magnum ſolatij fructum & incrementum uberrime tribuet : Sique , ô Viri DEI , a recto tramite , quem alacriter incurrere cœpiſtis , non declinaveritis pluris cujusvis hominis , quam Chriſti gratiam non facientes , DEUS ipſe , qui noſcit corda omnium ; oſtendet vobis quem eligere debeatis in locum Miniſterij hujus.

Recolite ergo mecum qualem Magni Beatiſſimi Patris veſtri Regula poſcat eum , qui aliis præeſſe debet ; Cumque ejus dotes vobis perſpectas eſſe , mihi omnino perſuaſum ſit ; illa tantùm verba vobis conſideranda proponam hac feliciſſima die, in quibus , niſi ego me fallo , & Electionis ſumma , & conditio illius , qui eligi debet , certiſſimis quibusdam characteribus deſignatur. *Qui* ( ait ) *præeſſe dignus eſt , ſemper meminiſſe debet , Chriſti vices agere in Monaſterio.* O aurea verba ! verba æternæ vitæ , per quæ vobis liberè pateſit aditus ad thro-

thronum Dei ; Unde, Fratres ſancti, (ſinite Doctorem Gentium hic vos alloqui) vocationis cœleſtis participes, conſiderate Apoſtolum & Pontificem confeſſionis noſtræ Jeſum. Non poterit quisque veſtrûm Chriſti vices agere in Monaſterio, niſi, ſicut Chriſtus, ad Miniſterium vocetur à DEO tanquam Aaron ; Chriſtus enim non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret ; munus nempe illud tam divinum, tam excelſum non ambiit, non quæſivit, non optavit, ſed appellatus à Deo Pontifex juxta ordinem Melchiſedech, factus eſt omnibus obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis æternæ ; In capite enim libri ſcriptum erat de illo, ut faceret voluntatem DEI. Quis veſtrûm ſummo Judici nollet non reſpondere cùm Chriſto : In capite libri ſcriptum erat de me, ut contemptis dignitatum periculis, calcatisque terrenis cupiditatibus, tibi ſoli ſervirem, unicè humilitati ſtuderem, nec me, ut aliis præeſſem, dignum exiſtimarem, ne elevans allideres me ? Quis veſtrûm Dilectiſſimi Filij, ſibi dicta non putet ea omnia, quæ in capite ſecundo Regulæ ad veſtrûm omnium doctrinam ſcripta ſunt : *Culpa, ſcilicet, Paſtoris*

Digitized by Google

*Paſtoris incumbere quicquid in ovibus Paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire : Omnia bona & ſancta factis magis quam verbis oſtendere : Cui plus committitur, ab eo plus exigitur : Difficilis & ardua res eſt regere animas & multorum moribus inſervire, nam in die judicij ipſarum omnium animarum redditurus eſt Domino rationem.*

Hæc pauca ex multis deprompſiſſe ſufficiat, ut vobis certò conſtet, quale judicium immineat iis, qui neglectis & poſthabitis ſanctorum præceptorum oraculis, tanquam ad bravium currunt ad dignitates, quibus curas, vota, labores, & vel ipſas animas devovent, ut illarum compotes fiant. Si hæc, ſicuti fide perſpecta ſunt, ita quoque animis veſtris inſederint, prævaricatores hujusmodi (quos tamen in hoc Religioſiſſimo cœtu nec fuiſſe unquam, nec eſſe puto,) jam propè tenebras exteriores poſitos exiſtimate, & de quo libro vitæ delendi ſint, attentè perpendite : Qui ab hac regula veritatis recederet, is raperet veſtrum Miniſterium, & raperet tanquam fur ſacrilegus honorem & poteſtatem Chriſto ; nam execranda audacia tumens Chriſtum mendacem faceret

Digitized by Google

ret, qui Miniſtros ſuos ipſemet eligere & vocare teſtatur, & qui ſemper odio habuit rapinam in holocauſto. En quali reatu ſe obſtringeret, qui Chriſti vices ſuomet judicio arriperet, & extorqueret.

Video jam Vos mecum hoc ſcelus perhorreſcere: Video corda veſtra in propoſito ſanctitatis firmata, & contra omnes incurſus atque impetus oblatrantium ambitionis fluctuum inconcuſſa, illum Fratrem ad tantum onus aſſumere, quem Religio non fucata, quem pura doctrina, quem pietas & modeſtia, quem lectio & oratio, quem lacrymæ & jejunium, quem denique, ſecundùm Sanctam Regulam veſtram, *omnium bonorum operum inſtrumenta commendant*: Uno verbo, qualem eſſe decet, qui ad hoc munus divinitùs evehatur, & non qualem Vobis revelaverint ſanguis & caro. Fortaſſe irridebor a ſæculi hominibus, quod hæc ſacris Viris in mentem revocare ſtuduerim, quæ ſatis ſuperque nota, dum omnium ore uſurpantur, uſu quodam vim amittere videntur, & aciem mentis novitate non excitant; Sed DEUS certe non irridetur, nec mihi datum

Digitized by Google

datum eſt ſcire aliud hoc loco, quàm Chriſtum Crucifixum, nec aliter loqui poſſum, quàm quod Deus locutus eſt nobis in Filio, in quo ſibi bene complacuit, & ipſum audire nos juſſit.

Quòd ſi, ut divina magis noſcatis, ad humana devenietis, reſpicite, (oro vos, obteſtorque) ad petram unde exciſi eſtis, ad priſtina inquam, Majorum veſtrorum exempla, in quibus adeò enituit omnium virtutum imago cum profundiſſima animi demiſſione conjuncta, ut parum vobis dixiſſe videar, ſi læſam Dei majeſtatem ab humano genere per ſuperbiam lapſo, ſanctiſſimis eorumdem Patrum veſtrorum moribus eò placatam contenderim, ut * illorum precibus ſtare mundus crederetur. Eja agite, Chriſti milites, erigite frontem, eoſque intuemini, qui meritis, non ſuffragiis ad altiora vocati, tanquam oves ad occiſionem ductæ, diu noctuque ingemuerunt, ut Deus hac omnium graviſſiſima eos ſarcina levaret, nam aliorum peccata portare coacti, pro æterna eorum ſalute animam pro anima debebant rependere, & ubi mœſtiſſimi munera defugiebant, ho-nores-

* *Rufinus de vitis Patrum, in Prològ.*

noresque adverſabantur, lætiſſimos quisque eos vidiſſet, fuſtibus & gladiis in cauſſa Dei, & in Fidei teſtimonium occurrere. Aſpicite magnos Heroas illos, qui, ne oneri colla ſubderent, in abditiſſimas latebras ſe receperunt, & quaſi in tuto ibi non eſſent, ne reperti traherentur ad Regimen, in ipſa mortuorum ſepulchra deſcenderunt viventes, ut vita eorum tota abſconderetur in Chriſto, & cum eis gloria eorum deſcenderet; Eos denique ad memoriam revocate, qui in media honorum fuga intercepti, & quaſi in arenam adacti, ne in colluctatione deficerent, victoriaque ſua caderent, magnas virtutes, quaſi nullæ eſſent, oculis aliorum ſubducere tentarunt, ut ſuorum judicium fallerent, & vota fruſtrarent, reos tum ſe profitentes, cum ipſe altiſſimus honorum deſpectus innocentiſſimos patefaceret. Sed non eſt, cur hoc miremur coram Angelis Dei tam grande, tam rarum, tam ſublime ſpectaculum: Cogebantur ipſi vices Chriſti ſubire in Monaſterio, ſed prius a Chriſto didicerant, in hoc uno abſconditos eſſe omnes ſapientiæ & ſcientiæ theſauros, ut eſſent mites & humiles corde: Animo repetebant incon

X )( ſultam,

Digitized by Google

ſultam Matrem, quæ ſummas ſedes, dexteram ſcilicet & ſiniſtram Chriſti, præpoſtera ambitione pro ſuis Filiis efflagitaverat, nec tamen ipſis thronum gloriæ in Regno Dei, ſed calicem, quem ipſe bibiturus erat, Chriſtum obtuliſſe: Sciebant præſtantiſſimi illi Majores veſtri, Chriſtum iterum in montem ſolum ſe recepiſſe, ne Rex ſalutaretur a turbis, quia in formam ſervi voluit ſe humiliari uſque ad mortem: Ipſi cum Diſcipulis a Chriſto petentibus, quis eorum videretur eſſe major, ſibi dictum putabant Divinum illud Oraculum ſapientibus ſæculi abſconditum, tanquam potentiſſimum telum ad conterendum quemcunque humanæ ſuperbiæ faſtum (nullos niſi converſos ſicut parvulos) ſibi nimirum deſpectui habitos, Regnum Cœlorum intraturos. Ferebantur toti extra rerum humanarum fines in Chriſtum, quia ipſis totum vivere Chriſtus erat; & heu quantum coarctabantur anguſtijs, dum alte infixum hæreret animo judicium illud duriſſimum fore ijs, qui præſunt. Meditabantur incomprehenſibilia judicia Dei, & præ timore areſcebant quomodo in deſolationem facti fuiſſent

Rex

Digitized by Google

Rex Saul & Proditor ille, qui licet divinitus electi, juſtiſſime tamen propter iniquitatem ſuam fuerant reprobati; In hac cogitatione defixi greſſus ſuos metiebantur, & introeuntes in Sanctuarium DEI, eorum noviſſima conſiderabant, de quibus ſcriptum erat: Verumtamen propter dolos poſuiſti eis; dejeciſti eos dum allevarentur.

Hæc prima fuerunt Patrum Veſtrorum ſtudia, hi mores, hæ leges, hæc denique glorioſiſſima ad imitandum propoſita vobis exempla: Tenetis jam, qualis, quantuſque fuerit omnium timor ad capeſſenda munera per ea ſæcula: Quæ verò ſæcula, DEUS bone! in quibus labore manuum ſiti, fame, frigore, nuditate, precibus, jejunijs, paupertate, & omni auſteriſſimo pœnitentiæ genere, non vitam cum cæteris Mortalibus, ſed cum Superis putabantur, hac una beatiſſima ſorte contenti, ut expectantes beatam ſpem & adventum gloriæ magni DEI, ſaturarentur quotidie vino compunctionis & pane lacrymarum in menſura. Parcite cordi meo, Filij chariſſimi, obruor lacrymis dum hæc recogito; Compungor ſtimulis dum hæc exempla conſidero. Ille unus ex

)( )( 2 hoc

hoc cœtu veſtris ſuffragijs mox ad onus vocandus ignorare non poteſt, nec debet, hæc quæ vobis affatim ſuppetunt bona & commoda vitæ, fuiſſe majorum veſtorum fidei lucra, emolumenta pietatis, & pretia peccatorum; fuiſſe clariſſima iſta honorum inſignia, quibus jure & merito hoc Cœnobium, toto Orbe celeberrimum, illuſtratur Patrum veſtrorum diſciplinæ quæſtum, humilitatis ſtipendium, innocentiæ præmium, ſanctitatis coronam; Væ igitur illi, & iterum væ; ſi quando jamjam eligendus, ubi in faſtigio poſitus vices Chriſti aget in Monaſterio, hæc in aliorum perniciem & in detrimentum animæ ſuæ oblivioni tradiderit! DEUS enim conturbaret eum in ira ſua, & devoraret eum ignis. Non ego vos, neque illum hinc transmigrare jubeo in Tabennam Pachomij, in Ammonis Nitriam, in Macarij Sceten, ſed hac ſplendidiſſima die, in hoc animorum veſtrorum fœdere, ante hæc DEI Altaria, quaſi tuba vocem exaltans (hæc enim vox illius eſt, qui miſit me) illam, illam, vobis omnibus ſervandam Regulam denuntio, & ſtrictiſſime commendatam volo, quam Vos ipſi coram DEO amplexi fuiſtis, & in qua *nihil aſpe-*

*rum*,

*rum*, *nihil grave* conſtitutum eſt a Legislatore veſtro ſanctiſſimo.

Hactenus audiſtis qualem ipſe Magiſter adumbraverit Vobis formam illius, qui præeſſe aliquando dignus haberi debet in Monaſterio: Audite nunc preces meas, & quia ſimul ſtabimus ante Tribunal Chriſti (tempus enim breve eſt,) ibi ſtatuetur, an ego vos paterne ſincereque admonuerim, & an prono Vos animo monita mea ſuſceperitis. Obſecro itaque Vos, Filij mei in Chriſto JEſu, opportune, importune per miniſterium infirmitatis, meæ per vocem illius, qui Chriſti vices in terris gerit, & cujus ego (licet peccator omnium * notarum) Legatione fungor, per miſericordiam & omnipotentiam Dei, ſatagite primum ſuffragia veſtra in Chriſti ſinum deponere arceantur, tanquam peſtes bonorum operum, de mentibus veſtris mundanæ cogitationes, ignoretur ambitio, faceſſat invidia, regnet Charitas, triumphet Religio, prodeat de vultu Chriſti judicium veſtrum; qui enim divino eligetur judicio, digne habitabit in hoc Tabernaculo, juſtitiam operabitur, veritatem loquetur, non aget

* *Tertul. de pœnit. cap.* 12. *in fine.*

dolum

dolum in lingua ſua, & munera ſuper innocentem non accipiet.

Te nunc Domine, precor, extende manum ad opus, quod famuli tui modo ſuſcepturi ſunt: Emitte ſuper eos Spiritum conſilij & Spiritum pacis: Da, ut ardentiſſima charitate tua terrenorum affectuum tenebras diſſipent, & Luce tua ſancta undique circumfuſi, veritatem & voluntatem tuam aſſequantur. Da, Domine, ut hac tua admirabili Luce oculis eorum, fortaſſe adhuc ægris, & nocte præteritarum rerum prægravatis, ſanus ille & liber reddatur obtutus, quo recta ſemita pacis inventa, poſſint in ea cum conſenſu ambulare. Firma, Domine, in eorum manibus arma illa Lucis, quibus Beatiſſimus Apoſtolus tuus opera tenebrarum fugavit, primorum Fidelium mentes in concordiam reduxit, & unitatem Spiritus eorum in vinculo pacis, naſcentis Eccleſiæ Adverſarijs, & Diaboli inſidijs fortiſſime oppoſuit; Hæc ipſa arma, Filij chariſſimi, non tam ſuis pugnantibus tunc providus exhibuit Apoſtolus, quam vobis modo pugnaturis contra eundem ipſum antiquum hoſtem ſolicitus præparavit.

vit. Innova in cordibus eorum, clementiſſime DEUS, ſpiritum ſervi tui Beati * Andegarij, & fac ut redeat cor Patris in Filios; Cor, inquam, illud, quod tui amoris igne vehementer ſuccenſum, admirabilis hujus Regulæ a prima Sede petitæ hic primum fundamenta ponens, hoc cœlum, hanc terram, has Gentes, hæc loca, hos parietes, hæc Altaria odore ſanctitatis implevit, fide & charitate enutrivit, caſtimonia vitæ decoravit. Pone in conſpectu tuo, Summe DEUS, ſacro-ſanctos hos cineres, has pretioſiſſimas ſanctorum Martyrum tuorum Gordiani, Epimachi, & Caſtuli † exuvias, quibus ad præſidium tui cœtus hanc domum tuam nobilitâſti. Parum fortaſsè eſſet tantos Athletas in teſtimonium Fidei tuæ intrepide viciſſe in Agone Romano Tyrannum & Beſtias, niſi hæc ſacra Ædes, ubi vox ſanguinis Eorum clamavit, & clamat ad Te pro ejus Miniſtrorum concordia, tuo ( etiam hac tempeſtate ) præſenti patrocinio fulciretur. Augeatur in ſplendore Gloriæ tuæ

* *Qui Regulam accepit Romæ ab Adriano I.*

† *Ab Urbe Roma in hoc Monaſterium translata Sæculo VIII.*

tuæ unanimi hodiernæ Electionis conſenſu horum Martyrum triumphus; nec minus cedat in tuorum Militum laudem certamen illud glorioſum, quàm nobis in gaudium in hoc tanto negotio, tuum, ijs apud te deprecantibus Divinum Auxilium.

AMEN.

Digitized by Google

# SERMO II.

## *AD*
## MONACHOS MURENSES.

*EGO JUSTITIAS JUDICABO. Pſal. LXXIV. Verſ. IV.*

ANte Tribunal Chriſti judicandos hodie Vos ſtatuo, Dilectiſſimi Filij; Non opus eſt vobis extremam illam & luctuoſiſſimam diem anxiè præſtolari, ut revelentur abſcondita cordis veſtri, DEUS enim, cui omnia ſunt nuda, & aperta appendet hac ipſa die in ſtatera ſuffragia veſtra, & ad menſuram ponderis eorum vobis remetietur. Væ vobis, ſi parum de hoc præſenti judicio ſolliciti, tanquam perſonarum acceptatores, condemnandi eritis! Væ mihi, ſi tale tantumque æterni Judicis decretum non eâ, quâ par eſt, gravitate verborum, in mentem veſtram revocare ſtuduero! Sed quid mihi ſperare non li-



Digitized by Google

cet, clementiſſime JESU, de Filijs tuis, de Fratribus meis, cum vel ille Pro-Conſul ab Apoſtolo Nobis exhibitus (etſi ignorantiæ tenebris obrutus, & populi Romani poteſtate vallatus) ad hoc ſolum Judicij nomen tremefactus expaverit? Quid mihi Domine expectare non datur à ſervis tuis, qui calcato ſæculi faſtu, ipsâ tuâ gratiâ præveniente, ideò votis ſe obſtrinxerunt, ut *in converſione morum ſuorum*, læti, te Judicem venientem, poſſent ſuſtinere? Qui, abnegato propriæ voluntatis imperio profitentur, velle tuum, eſſe ſanctificationem ſuam, quique de tuo adventu ſemper pavidi, ſemperque ſoliciti, per lacrymas, per jejunia, per preces horam viſitationis tuæ præſtolantur? Sciunt procul dubio quid tu petas ab ipſis in hac proxima electione, & quid potentiſſimis ſtimulis conſcientia eorum efflagitet, nec eos latere poteſt in perniciem animarum ſuarum, quale judicium de eorum juſtitijs apud te hodie conſtituetur, niſi carnis conſilia rejiciant, genij illecebras contemnant, & omnia mundanæ amicitiæ vincula diſrumpant.

Nollem, Viri DEI, inter vos aliquem eſſe ex eorum numero, qui Divino oraculo jam reprobati, dicunt

dicunt & non faciunt, & ſubdolâ quâdam mentis interpretatione, Chriſti mandatis ſe obſequi ſimulant, dum tamen ſibi ipſis blandiuntur, fingentes laborem in præcepto. O utinam! in hoc electionis negotio, Evangelij præcepta, & ſanctorum Patrum monita vincerent apud vos, & commoda, & mores, & tempora, in quibus fortaſſe exactiſſima illa Monaſticæ diſciplinæ obſervantia, vix ab aliquibus creditur retinenda, quia non colitur ab omnibus, & regimen animarum, & Monaſterij cum ſæculi curis pari conſilio ſuſcipitur, quia ſæpe pari pretio æſtimatur; Hinc Chriſti doctrina humanis aliquando fœdatur commentis, quibus homines adjecta ſibi volunt, & impenſiſſimè curant ea omnia, quæ nullis noſtris artibus, nullo labore ſequi debent, non præcedere regnum illud, quod unum totâ mente, & totis viribus, primum à nobis quærendum eſt. Nemo in fratrem ſuum invidiam commoveret, ſi Legis Divinæ memor, eas opes præ cæteris ſibi comparandas recogitaret, quas nec ærugo, nec tinea demolitur, nam diceret, & non faceret, ſi morum innocentiam, vitæ caſtimoniam, pœnitentiæ rigorem, diſciplinæ normam ore laudaret,

ſed laudata ſuffragio ſuo præterirentur, & obſcuro odio oſtenderet voluntatem nocendi, ſi chriſtianæ & monaſticæ vitæ ſimplicitatem debitis laudibus exornans, aliquid tamen ipſis deeſſe putaret in bene gerendo munere, niſi hujus ſæculi doloſà ſapientià fulcirentur. Hæc divini judicij certiſſima & invariabilis regula eos tangit, qui cum Lege Domini terrenos affectus componere ſatagunt, ſibi in illis verbis fortaſſe plaudentes, non videbit Dominus, nec intelliget DEUS Jacob. Iſtud ergo præ oculis habeatis, Filij chariſſimi, Vos hodie coram Angelorum exercitu, coram veſtrorum Sanctorum Patrum Cœtu, immò coram DEO vivo, & vero, non minùs agere de Monaſterij bono, quam de graviſſimo ſalutis veſtræ negotio, aut pœnam ignis æterni, aut cœleſtis gloriæ coronam ex ſuffragijs veſtris reportaturi.

Angor equidem, ut verum fatear, hâc ancipiti conditione; & vicem veſtram in tantis humanæ ignorantiæ tenebris amariſſimè defleo; Quis enim tam audax, qui non horreret? Quis tam ſecurus, qui non contremiſceret, exemplo Apo-

ſtolo-

ſtolorum, qui licet totius orbis fundamenta, & Diſpenſatores Myſteriorum DEI eſſent, attamen ſuper Matthiam dederunt ſortes, ut ſolus Dominus introitum, & exitum ejus cuſtodiret, & ingredi poſſet Sanctuarium DEI in innocentia ſua? Noluerunt illi ſuo judicio locum Proditoris implere, ne illorum ſuffragia vim aliquam quodammodo inferrent divinis conſilijs, & illa pars terræ, quæ peragranda futuro reſervabatur Apoſtolo, eorum culpâ periret, ſi minùs idoneum lucrandis DEO populis habuiſſet Miniſtrum.

Siſtat ſe nunc unuſquiſque veſtrûm coram Chriſto Judice, & apertè interroganti reſpondeat, utrumne elapſis diebus, amiſſo jam Patre menſus ſit fratrem ſuum eâ menſurâ, quâ ſeipſum metiri deſideraret? Utrumne dixerit in corde ſuo: Thronum aſcendam, ne impar tanto oneri videar, & alijs inferior evadam; Contendam viribus ne unus, aut alter ad regimen evehatur, qui aut perfectiſſimæ charitatis oblitus, interdum injuriâ, licet levi, me affecit, aut alios in conſortium poteſtatis vocabit, quos cupiditatibus meis magis inſenſos

ſenſos agnovi. Hic diſciplinam urget, nec talis eſt, qui poſſit compati infirmitatibus meis; ille non et præditus eſt manſuetudine, quæ pauló remiſſiùs Regulam adimplere permittit. Si quis talia (quod de veſtra pietate confiſus, minime credo) animo volveret, hâc ipsâ die experiretur ultionum Dominum, qui liberè ageret, nec taceret, donec juſtitia converteretur in judicium, renovaret iſte Proditoris exemplum, qui & tradidit, & vendidit Chriſtum; Ut verò tanti flagitij reus aliquis poſtuletur, non opus eſt, numeratis triginta argenteis, appendere ſacratiſſimum Sanguinem; non pluris enim venderet, qui ſæculo abdicato, & ſanctioribus votis obſtrictus, auderet tam pernicioſo cogitationum apparatu, irruere in hæc altaria, & ſacros hos intra muros venundaret Chriſtum, cupiditate pravâ, charitate fictâ, ambitione execrabili.

Ego ipſe, licet pulvis, & cinis, ita loqui audeo, quia pro Chriſto Legatione Apoſtolicâ fungor à ſupremo Eccleſiæ Capite INNOCENTIO XIII. Pont. Max. huc miſſus. Nolo argui ſilentij mei,

&

& graviſſimum illud dictum, mihi fortaſſe non dictum iri confidam: Væ quia tacuiſti! Cum ergo DEI Judicium veſtro Cœnobio modò impendeat, à facie Chriſti diſcedat quiſquis humanis conſilijs, commódis, artibus, deſiderijs, vel minimam operam dederit, longè abeat a ſanctis hujus Eccleſiæ Tutelaribus maledictus per ſæcula, qui, ut ſuam faceret, Chriſti voluntatem neglexit, quique jam ſtatuit in corde ſuo rejicere ab hac Dignitate illum Fratrem, cujus electione ſuis privatis rationibus non ſatis putat eſſe conſultum. Ille ad tantum onus vocari debet, qui gloriam ſummi DEI fortiùs præ cæteris urgere poſſit; qui magis virtutibus floreat, zelo vigeat, doctrinâ polleat, morum ſanctitate, & vitæ exemplo alios longe antecellat. Reliqua tranſeunt cum figura hujus mundi. Non ſunt hæc vana dicendi loca, nec humanæ eloquentiæ artes; Verba ſunt Domini, documenta ſunt Regulæ veſtræ, in qua non genus, non conditio, non ſtudia partium, non jura gentium, non privilegia locorum dotes Candidatorum conſtituunt; Omnes enim Fratres eſtis in Chriſto, quique

quique alijs præeſſe debet, eligendus eſt uno vitæ merito, & ſapientiæ præconio: ab his Legibus nec latum unguem vobis licet diſcedere absque certiſſima pœna damnationis æternæ, quam apud omnipotentem Deum Ipſe Magiſter veſter ſanctiſſimus ad vindicandam injuriam ſuam, enixiſſimè urgebit.

Ego ſtatui Tribunal: futurum reum deſignavi: Vos Judicem nôſtis: Scitis modò, quid in tanto periculo animabus veſtris expediat, ne DEUS judicet juſtitias veſtras. Procedamus in pace.

Digitized by Google

# SERMO III.

## DE SACERDOTUM DIGNITATE.

### AD CLERUM LUCERNENSEM.

Nec quiſquam ſibi ſumit honorem; Sed qui vocatur à DEO, tanquam Aaron: Sic & CHRISTUS non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret. *S. Paul. Epiſt. ad Hæbr. Cap. V.*

REdeunt ad Nos jam diu expectata; Filij Cariſſimi, anniverſaria ſacra, quibus majorum veſtrorum pietas, nunquam ſatis laudanda, ſui erga DEUM religioſiſſimi cultus monumentum reliquit, & ſolemni indictâ ſupplicatione, immortalis beneficij recordationem, omnium vocibus prædicandam in ſeros uſque nepotes, ſapientiſſimè propagavit. Neminem Ego



Digitized by Google

fuiſſe arbitror, qui, ut primùm hic triumphalis, & lætiſſimus dies nobis illuxit, non ſtatim decrevit ſe Deo immolaturum ſacrificium laudis, & redditurum Altiſſimo vota ſua, animo repetens, quantum magnificata ſit in fortitudine dextra Excelſi, quæ a vaſtiſſimo incendio ſervavit hanc Deo caram, & præclariſſimam Urbem. Juvat, Filij Cariſſimi, extrema pericula, à quibus Omnipotentis DEI manus nos ſervare voluit incolumes, perſæpe & majori, quo poſſumus ſtudio in mentem revocare, ut beneficia Divina in Nos immerentes collata, altiùs cordibus noſtris inhæreant, & nullâ unquam temporum labe eorum memoria obruatur. Ad renovandam igitur penè intermortuam acerbi, & luctuoſi caſus imaginem, proponite vobis ante oculos, oro obteſtorque, fœdiſſimam illam flammam modò in Urbis mœnia impunè graſſantem, modò Civium tecta ſæviſſimè irrumpentem, omnia ſtatim aggredi, omnia pervadere; metu trepida Urbs tota concutitur; implentur omnia lamentis, & gemitu, inſtat populus, quatit

muros,

muros, dejicit domos, &, ne latiùs ſerpat incendium (heu ſpectaculum!) per ipſas Urbis ruinas publicam quærit ſalutem; Patent ſacrarum Ædium fores, funduntur preces & lacrymæ, pronus quiſque DEI Aris advolvitur. Mox decreto Religioſiſſimi Senatus, pro Civium, & totius Patriæ ſalute, annua vota ſolemni ritu nuncupantur. Et quidem non in vanum optimi Majores veſtri laboraverunt, cuſtodiente Domino Civitatem, qui memor miſericordiæ ſuæ ad pias eorum lacrymas reſpiciens, preces non repudiavit, ſed in brachio extento ignem devorantem compreſſit, & a flammis ereptam Vobis ſtantem Urbem reſtituit. Date ergo, date magnificentiam DEO noſtro, benedicite Nomini ſancto ejus, & narrate mirabilia ejus in generationem, & generationem. Vidi ego, & præ maximo gaudio exſiliens vidi, immenſam populi copiam, Senatum, principes Cives, ſumma Reipublicæ Capita, & Venerabiles Sacerdotes corde contrito ad hanc ſanctam Baſilicam tanquam ad Thronum gratiæ, in ſupplicationem,

& ſolemnem pompam confluere ; Vidi ſerenos omnium vultus, & a multorum oculis manantes letitiæ lacrymas ; Vidi omnes levantes puras manus ad DEUM, deque acceptis beneficijs gratias referre ; Compita, & viæ Hymnis & Canticis perſonabant, & nomen Domini laudatum fuit in tuba jubilationis.

Unum tamen ad tanti gaudij plenitudinem deeſſe videbatur, Filij Cariſſimi, ſermo nempe ex hoc loco habendus de ampliſſima, & divina Sacerdotum dignitate, qui primas partes in tanta celebritate præ ſe tulerunt. Ut verò liberè, quod ſentiam, dicere incipiam, quicunque admiratur inclytæ hujus Reipublicæ exantlatos pro cauſſa Fidei abores ſæculorum memorià digniſſimos, is profectò habet, unde magis obſtupeſcat, ſi in tanti beneficij magnitudinem oculum intendens, hoc præſertim in more poſitum apud Majores veſtros animadvertat. Quæ verò alia, ob patriam igne ſervatam, capiendi hujus Conſilij cauſſa eſſe potuit quàm ſingulare illud ſtudium eorundem excitandi, atque inflammandi populorum mentes ad verum DEI cultum & erga

ejus

ejus Miniſtros reverentiam ? Quamobrem ad grates DEO ritè, & memori animo perſolvendas nihil aptius, nihil convenientius excogitari poterat, quàm de ea dignitate ſermonem inſtituere, inque illorum laudes excurrere, per quorum manus illa DEO offertur Salutaris Hoſtia, quæ in Ara Crucis ſemel cruentè oblata, ſeque ipſam quotidie miniſterio Sacerdotum incruentè offerens, miſericordiam, & gratiam nobis conciliat in tempore opportuno, & a qua, tanquam ab æterno fonte, perennes aquæ in ablutionem peccatorum Nobis derivantur. Non is ego ſum (quod maximè doleo) qui eâ polleam facultate dicendi, ut ad tantæ dignitatis gloriam, laudemque pro merito celebrandam accedere audeam; Quamvis huic graviſſimo oneri nemo aptior videatur, quàm Legatus Sanctiſſimæ illius Sedis, ex qua unitas Sacerdotalis traxit exordium; Agnoſco tamen rei difficultatem, vires tanto muneri impares pertimeſco, peccatorum meorum pondus ſentio, & horreo adſumere Teſtamentum Domini per os meum, Divino illo per-

perterrefactus oraculo, laudem non eſſe ſpecioſam in ore peccatoris. Itaque Vobis hoc perficiendum relinquam, vobis dico, Chriſti Sacerdotes, quos planè confido & memoriâ tenere, & diuturnâ cogitatione complecti, quàm magnificè in Veteri Lege inſtitutum fuerit munus Sacerdotale, cujus originis Divinitas, ut undequaque comprobaretur, omnia ad normam Æternæ Mentis in eo peracta fuerunt. Hinc admirabilis ille, & myſticus ſacrificiorum apparatus; hinc pretioſiſſima veſtimentorum ſuppellex, quâ Aaron utebatur in opere Miniſterij; hinc gemmæ in medio pectoris corruſcantes, quæ ope candidiſſimæ lucis, oracula renunciabant cœleſtia. Huic ſoli quem DEUS elegerat intima ſacri adytis penetralia reſerabantur. Hic oleo ſacræ Unctionis perfuſus, incenſum & thymiama adolebat Domino, Ipſumque deprecabatur in ſanguine oblato pro peccatis. Ut qualis, quantuſque fuerit Aaron tam ſublimi præditus dignitate noſcamus, teſtes huc advoco illos, quos manus Domini, quia contra Sacerdotem ejus ſteterunt, tamquam impios, in flamma ignis, inque impe-

impetu iracundiæ proſtravit, confregit atque conſumſit. Magna dixi, ſed adhuc majora attendite: Licet ea, quæ breviter recenſuimus, ipsâ rerum magnitudine, & futurorum eventuum ſignificatione, ſummopere commendentur, longè tamen maximè admirari & venerari debemus Sacerdotem illum, cujus generatio nec Prophetarum, nec Angelorum linguis enarrari poteſt. Sacerdotium enim ſecundum Ordinem Aaron, tanquàm noſtri umbra habebatur, & ubi illi promittebatur æternitas, non umbræ, non figuræ, ſed rei, quæ per ipſum adumbrabatur, promiſſa fuit; De illo enim, in ſplendoribus Sanctorum ante Luciferum genito, ſcriptum erat: Tu es Sacerdos in æternum ſecundum Ordinem Melchiſedech: In cujus æternitatem ante Solem, & Lunam, & ante faciem Abyſſi, ipſemet Dominus juravit, proptereàque juravit, quòd ad oſtendendam conſilij ſui firmitatem, ſic feciſſe per ſæcula duraturum, non eum pœnitebit. Quo me rapuiſti, Chriſte Sacerdos, Chriſte Pontifex noſter, veri Tabernaculi, & Sanctorum Miniſter? Quo? O utinam! modo

Digitized by Google

dò cœlos illos diſrumperes, & in lumine vultus tui mihi panderes viam illam, quam a ſummo cœlo egreſſus & velut gigas exultans concurriſti, qui appellatus a DEO Pontifex, & vocatus dixiſti: Ecce venio, ut faciam DEUS, voluntatem tuam, ut corpus, quod aptaſti mihi, (cum tibi holocauſta, ſecundùm Legem, non placeant), vera ſit Hoſtia pro peccatis, copioſa ſit pro mundo Redemptio. Cucurriſti, & auditâ voce ſermonum ejus, dixiſti: DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei; Cujus Divinæ Legis imperio, in ſimilitudinem hominum factus, ex ijs, quæ paſſus es, didiciſti obedientiam uſque ad mortem, & ad frangendam humanæ voluntatis ſuperbiam, tibi honorem non ſumpſiſti, neque ut Pontifex fieres, temeipſum clarificaſti. Quis noſtrûm (ad te nunc mihi eſt ſermo, quicumque es, quicunque hîc ades, Chriſti Sacerdos) quis noſtrûm poſſet cum Chriſto currere hanc viam, ſi æſtu ambitionis abreptus, ſi illecebrâ cupiditatis accenſus, ſi typho ſuperbiæ inflatus, ſi ſæculi amore captus, illam ingrederetur? Quomodo curreres, Sacerdos Chriſti?

Chriſti ? Dic, adſta, quomodò ? Fortaſſe dices: quid ni ? Ergo curreres ſponte tuâ, & quibuſdam veluti furijs concitatus, temerè arriperes hanc dignitatem, ad quam ſumma utriuſque Legis Sacerdotum capita nonniſi divinæ voluntatis ductu pervenerunt. Jam vide atquè etiam conſidera, quàm longè abſis ab eorum virtutibus, quas anteà non modò non cogitaſti, ſed ne nunc quidem quæ, & quantæ ſint, fortaſſe intelligis, quia in ſæculi curis, velut in medio gurgitis, adeò obrutus jaces, ut ad eas nequeas liberum animum intendere. Video Vos, Filij Cariſſimi, rem totam animo jam percepiſſe, quam huc referri volo, ut ad majus dignitatis Sacerdotalis præconium omnibus conſtet, ejus columen non in alio poſitum, quàm in una Dei Vocatione, quæ quidem laus ita ceteris honoribus antecellit, & ſingulatìm noſtro adhæret, ut in alijs DEI providentiam conſpiciamus, in hoc vero ipſam DEI ſapientiam, atque auctoritaten, ejuſque mentis propoſitum contemplemur. Hæc una præſtantiſſima laus inter ceteras eminet, inque altiſſimo loco,

immò in omnium munitiſſima dignitatum arce Nos collocat. Quamobrem injurius eſſem pietati veſtræ, ſi reliqua Sacerdotum munera dicendo perſequi vellem. Quis enim veſtrûm ignorat Sacerdotes Mediatores eſſe inter DEUM & homines, iis concredita myſteria fidei, cœlorum aditus, animarum habenas, Sacramentorum theſauros? Sacerdotes, non DEI Servos, ſed Amicos eſſe, Amicos inquam, & quàm latè pateat hoc tam carum, & dulce nomen, Voſmetipſos teſtes appello, quos planè non fugit, ( ſi licet humanis divina metiri ) quàm perfecta animorum, voluntatum, & rerum communicatio ab arctiſſimo amicitiæ vinculo oriatur.

Redeamus ergò, Filij cariſſimi, & quàm citiſſimè animum convertamus ad hoc divinæ vocationis privilegium, quo majus cogitari non poteſt, & cujus pretio apertè cognoſcimus quantum, honorificati ſint, & nimis confortatus principatus eorum.

Audiſtis, Aaron Sanctum Domini; divinitùs Sacerdotio initiatum; audiſtis Chriſtum in ſinu

Patris

Patris Sacerdotem æternum, miſſum ad opus redemptionis in plenitudine temporum: Jam intuemini, Filij cariſſimi, & contemplamini quanta in utroque fuerit vocationis potentia, quanta vis, quantusque triumphus. Ille cum Fratre, cui, jubente D E O, datus erat Propheta, & Interpres, populum à captivitate liberaturus, mittitur in Ægyptum ad contundendam Pharaonis ſuperbiam: Alter mundo traditur ad referandum nobis aditum æternitatis, & ad convellendum Diaboli imperium. Fruſtrà Rex impius ad opus duriſſimum filios Iſrael damnavit, fruſtrà ore impio, & ſacrilego juravit, ſe Dominum neſcire, ſeque populum nolle dimittere; fruſtrà ſapientium ſuorum incantationes, & præſtigias divinæ Omnipotentiæ miraculis objecit, quoniam Aaron ad tantum opus vocatus, coram crudeliſſimo Rege, ad cujus vultum, & minas minimè expavit, ſpem populi jacentis ſignis erexit, monitis fovit, & intrepidè reddidit juſſa divina. Fremuerunt contra Chriſtum Gentes, Principes, & Reges; ſed DEUS irriſit illos, quia Chriſtus, ut perficeret opus, quod ei dederat Pater, manifeſtavit nomen ſuum hominibus,

bus, ligno Crucis ſuperba Regum, & Principum colla ſubegit, gentes illuminavit doctrinâ, utque implerentur Scripturæ, omnia mandata Patris implevit. O vim potentiſſimam! O admirandam divinæ vocationis virtutem, quæ non tantùm in Sacerdotio, in Miniſterio, & in Chriſti doctrina palàm apparuit, ſed ejus quoque ineffabili nativitati præluxit!

An ne te indictum relinquam, O inter natos mulierum, omnium major, fortiſſime Chriſte Athleta, præcurſor Joannes, quem Deus ad præparandas Unigeniti ſui vias, & ad prædicandum populis pœnitentiæ Baptiſmum, in ſpiritu Eliæ vocavit ab utero matris ſuæ? Teque prætercam, O feliciſſima Virgo, quæ accipiens Angelicum nuncium (cujus jam nobis inſtat ſolemnis memoria) te optare dixiſti, ut non niſi ſecundum verbum divinæ vocationis tecum ageretur?

Convertite oculos, Filij cariſſimi, in Mare Tiberiadis, in cujus littore invicta acies inſtruitur. Arma, ſigna, commeatus paranrur; Jam milites nequeunt loco conſiſtere; Jam ſtricto gladio Romanum inva-

invadunt Imperium, & impetu facto, terrarum Orbem aggrediuntur. Quæ acies? quæ arma? qui milites? Video miſeram, & jejunam plebeculam: Video fæcem populi tenuem victum & vitam piſcatu quæritantem: Video inermes, nudos, pauperrimos, & viliſſimos homines reficientes retia ſua secùs mare: & quis crederet ( O Altitudo Scientiæ Dei! ) quis crederet hos eoſdem homines contumeliis affectos, verberibus cæſos, lapidibus obrutos, enſe percuſſos, ferro dilaniatos, Principes ſuper omnem terram conſtituendos, & duodecim Tribus Iſrael judicaturos? Quis ſuſpicari poſſet terrarum orbem, imperitis, obſcuris, & ( quòd caput eſt ) pauciſſimis teſtibus contra Diaboli & Regum iras ultrò fidem adhibiturum? Et tamen factum eſt ita; Sicut audivimus, ita vidimus, hæc fuit omnium maxima, & pleniſſima vocationis victoria, dante DEO voci ſuæ vocem virtutis. Quosnam, dicite quæſo, minus aptos Chriſti muneribus, & dignitatibus nobis fingere poſſumus, quàm miſerrimos piſcatores? Quinam homines tanto culmini, & faſtigio majeſtatis præ ijs impa-

impares viſi ? Attamen, ut Vocatio DEI in ſtultam mundi ſapientiam, & profundam humanæ ambitionis libidinem undequaque vim ſuam exereret, ut vocatis eriperet typhum ſuperbiæ, ut qui gloriarentur, in Domino gloriarentur; ut tandem Chriſtum Apoſtolos, & non Apoſtolos Chriſtum elegiſſe palàm teſtatum fieret, ſuſcitavit DEUS de pulvere egenos, & ea, quæ non ſunt, tamquam ea, quæ eſſent, vocavit. J nunc, Sacerdos Chriſti, tolle animos, finge triumphos, quum parum de tua vocatione ſollicitus audacter in caſtra Domini te recipere non erubeſcis; Putas ne te ſanctiorem Aarone, puriorem Chriſto, majorem Apoſtolis, qui DEI conſilium temerè debeas prævenire, & ejus voluntatem humanis artibus impunè pervertere ? Heu te miſerum! Heu miſerum ! Nec Aaron, nec Chriſtus, nec Apoſtoli hunc ſibi honorem ſumſerunt, tuque non vocatus, non electus, non ſegregatus in opus Miniſterij audebis nefarias manus Dei Altaribus inferre ? Exi, exi e ſinu Matris Eccleſiæ, evade, erumpe in tenebras ejiciendus; Sola enim tenebrarum via tibi patuit ad

ad hanc dignitatem Davidis oraculo condemnata: Hæc via illorum ſcandalum ipſis: Hæc via illorum tenebræ, & lubricum. Abijſti in viam gentium, nec mirari ſubit, cur tam longè aberres a ſemitis Domini. Sed videamus quorsùm tendant, & quo te adduxerint rationes tuæ ad excuſandas excuſationes in peccatis: nempè ſplendor dignitatis, hominum plauſus, conſilium parentum, vis conſuetudinis, vitæ commodum, inopia familiæ. His ita fortiſſimè occurro Chriſti exemplis, & præceptis. Audi. Poſuit ne Deus ſacroſanctum Chriſti Sacerdotium in hominum cenſum, in familiæ patrimonium & quæſtum ambitionis? Fruſtrà crimini excuſando obtendis inopiam; nulla enim inopiæ, aut, ſi mavis, ſævæ paupertatis ratio probari poteſt, quæ tam magnam, tam excelſam Chriſti dignitatem jugo domeſticæ egeſtatis ſubmittat. Quod ſi inopiam tam adeò certam, cumque nulla cupiditate implicatam eſſe contendis, jura ipſa Providentiæ conculcas, quam certò ſcimus omnibus præſto eſſe, & vel miſerrimos non derelinquere, quum ipſas volucres cœli paſcere, & lilia agri veſtire non dedignetur.

gnetur. At ſatius eſſet non vocatum fame confici, quàm contra Chriſti ſententiam, ſuperiùs ad menſam adſcendere, & reum fieri Corporis, & Sanguinis Domini. Satius eſſet non vocatum fame mori, quàm univerſum Mundum lucrari ſuæque animæ detrimentum pati. Quod ſi contra Divinæ vocationis jura, ad ſublevandam familiæ egeſtatem, tibi hoc invitus largirer, quid Domino reſponderes, rationem cum ſervis ſuis poſituro? Putas ne, in tabulas accepti & expenſi relatum iri, quod per luxuriam effundis? Heu! infelix familia, ſpe inani inſidiosè fraudaris, Chriſti patrimonio in luxum abſumto. Cogita ergo, & perhorreſce egeſtate coactum, addixiſſe te Sacerdotio, quaſi non latè pateret terrarum orbis induſtriæ & laboribus hominum, & ubi in reliquis artibus omnes curæ eo tendunt, ut priùs experiantur ingenia, ne, quod aggredi cupiunt, tandem perfectè tenere non valeant, in hac una ſacerdotalis Officij diſciplina lex iſta perfringitur, & arbitratu noſtro eluditur, atque abrogatur; quaſi verò ignarus armorum, bellator fieret ante certamen, & victor ante triumphum. Eo minùs

minùs tibi vitæ commodum ſuffragari video memoriâ repetens, quid ſit, ſi hoc non eſt, quærere quæ ſua ſunt, non quæ JEſu Chriſti; qui, quum vulpes foveas haberent, ubi caput reclinaret, non habuit: qui dies noctesque agens in opere redemptionis, undique preſſus anguſtijs, pauper, & inops, in laboribus fuit ab adoleſcentia ſua, donec in ſinum Patris ſanctiſſimam animam deponeret. In ſuſcipienda hac dignitate non eſt quod mecum pugnare velis conſuetudine; Nam conſuetudo prava vetuſtas eſt erroris, & Chriſtus jure dixit: Ego ſum veritas, & non dixit: Ego ſum conſuetudo, maniſeſtiſſimè indicans, ubi veritas ſeſe aperit, inde longè à conſuetudine refugiendum eſſe.. Ubicunque ergò per conſuetudinem id factum eſt, improbè factum eſt. Quicunque hoc fecit, improbus eſt, & ſuplicia æterna promeruit; Etenim ſi conſuetudini obviam non itur, oritur ex illa quædam erroris neceſſitas, quæ facit, ut peccare non pudeat, dum peccaſſe non dolet.

Jam venio ad conſilium parentum. Quis neſcit, non eſſe conſilium contra Dominum? Moni-

tis ergo, & conſilijs parentum te ſacris Ordinibus patieris adſcribi? Et Chriſtus negat ſuum eſſe Diſcipulum, qui in via ſalutis ineunda priùs odio non habuerit & patrem & matrem. Times à facie eorum, & DEUM te non vocantem contemnis? Audi iterum Chriſtum clamantem, illos tantùm fore ſuos Diſcipulos, qui facient voluntatem Patris ſui, non illius Patris, qui in hoc mundo de æterna filiorum ſalute parùm ſollicitus, terrena tantùm ſapit, & penitùs cœleſtia negligit.

Nihil addo de dignitatis ſplendore; deque hominum plauſu. Pudet me talia perſequi, cum Myſterium Crucis, cujus Miniſtri ſumus, debeat nos opprobriis & contumelijs ſaturare, & Chriſtus dicatur ab Apoſtolo, Pontifex futurorum bonorum; quia non pereuntem mundi figuram diligere, ſed gloriam, quæ revelabitur in cœlis, expectare nos juſſit. Reliquum eſt (ſuſtinete adhuc modicum quid inſipientiæ meæ, ut cum Apoſtolo loquar) ut nullam planè ſuæ dignitatis rationem illos habere Vos moneam, qui Clericalem honorem parvi pendentes, propria tanti Ordinis

nis inſignia, à ſacris Eccleſiæ Concilijs ſtatuta, & pœnam ſuſpenſionis in reos perſcriptam, apertè deſpiciunt, dum prophanis veſtimentis lauti vix a Laicis poſſunt aliquando internoſci; Cumque Cives veſtros (O eximiam hujus Reipublicæ gravitatem!) absque ſuæ dignitatis inſignibus intrà ſepta Senatus conſiſtere Patriæ leges vetent, iſti, de quibus loquor, omnium audaciſſimi contra Matris Eccleſiæ mandata, in oculis Urbis, & univerſæ Reipublicæ, & (O utinam non in conſpectu viventis DEI!) alienis exuvijs tecti incedere non verentur, ſibique fortaſſe blandiuntur in tanto turpitudinis apparatu. Sed redeo ad propoſitum. Audio quid dictitas, Sacerdos Chriſti; Te ſcilicet primâ voluntate ſacris initiatum, ne nihil in hoc mundo agere videreris, cui vitio in communi Civium conſuetudine turpe eſſet tibi indulgere, quum poſſis honeſto aliquo inſtituto hunc vitæ curſum traducere; Ceterùm te non eſſe ita vocatum, ut ejuſdem vocationis ſanctiſſimis legibus undequaque tenearis. Siccine ergo reſpondes? Cur itaque arripis auctoritatem Chriſti? Cur in nomine ejus, & peccata

 retines

retines, & peccata dimittis ?. Cur in maximo omnium Myſteriorum adhibes divina illa, & tremendiſſima verba, appellando Corpus Chriſti, *CORPUS MEUM ?* Vivit, vivit Chriſtus in nobis, per nos ſacrificat, conſecrat, benedicit, offert, baptizat, confirmat. O majeſtatem ! O apicem ! O culmen Dignitatis Sacerdotalis ! Memento illius diei, quum te ſacro illi presbyteratus officio admovendum, & ad illud dignè ſuſcipiendum, & dignè ſuſceptum exequendum paraſti. Tunc te ita graviſſimè docuit, monuit, excitavit Sancta Mater Eccleſia : Agnoſce quod facis, imitare quem tractas. Sed quia ad tractandum quem tractas, non ritè vocatus fuiſti, ideò quod facis non agnoſcis, quem tractas non imitaris, & hinc Chriſti dignitatem ignoras, quam hoc pacto conculcas.

Hæc quum ita ſe habeant, pro munere, quo indignus fungor, non poſſem non vehementiſſimè commoveri, non angi, non torqueri, non gemere, ita ut accerbiſſimo doloris ſenſu, quo nunc premor, penè totus conficerer, penè in oculis veſtris (Dilectiſſimi hujus Reipublicæ Patres, & Cives

Cives optimi ) inque hoc populorum conſpectu animam agerem ; niſi ſcirem , quos hic videtis , Venerabiles Sacerdotes puros eſſe & ſanctos , ac mihi dilectos in viſceribus JEſu Chriſti tamquàm charitate Fratres , & dignitate chariſſimos Filios.

Quæ hucuſque attuli in me potius convertantur , qui nullis præditus meritis , hoc mihi impoſitum Apoſtolicæ Legationis munus auctoritate Optimi Pontificis ( Innocentium reticebo , ne in lacrymas , quas parumper cohibet lætitia hujus diei , nos repente adducat dulciſſimi nominis recordatio ) hoc mihi, inquam, impoſitum Apoſtolicæ Legationis munus undequaque graviſſimum , deprecari non valui , quum illud mihi ſolum videri debuiſſet in hac vita reliquum, ut illuc terrarum migrarem ubi tutò poſſem extrà hominum lucem , lacrymis , jejunijs , & precibus , detergere maculas hujus vitæ , & coram te , Domine , coram te , ſpes omnis , & amor pœnitentium , Clementiſſime JESU , animam meam effundere , pretereuntium rerum obliviſci , tibi ſoli inhærere , pedibus tuis advolvi , in hæc vulnera , in hanc

hanc Crucem confugere, & faciem tuam, ſi mihi indigno licuiſſet, exquirere. Enim verò quid Ego in medium afferre nunc potui, quod tam probos fugeret Sacerdotes, e quorum memoria nunquam excidiſſe arbitror tot, tantaque Divinæ Vocationis teſtimonia, exemplis utriuſque Legis firmata: Quæ quidem exempla nos monitos volunt, ut ſobrietati, modeſtiæ, caſtitati, ſacris lectionibus, precibus, divinis laudibus, & proximorum ſaluti conſtantiſſimè ſtudeamus. Nos de hoc mundo non eſſe, Chriſtus rediens ad Patrem, teſtatus eſt; quia DEUS vocatione ſuâ ſanctâ nos ſegregavit in ſortem Miniſterij ſui; & ex illa die, quâ quiſque noſtrûm, totâ audiente Eccleſia, & ſpectantibus Angelis, nomen dedit Clericali militiæ, & profeſſus eſt ſe nullam præter Dominum hereditatem habere, ſacro-ſancti hujus fœderis ratio nos cogit aliud non quærere niſi DEUM, nihil amare niſi DEUM, in nulla re delectari niſi in DEO. Eja, agite, bonis operibus vocationem veſtram magis probatam reddite, exhibete Vos tanquam DEI Miniſtros, & Diſpenſatores Myſteriorum DEI.

Munda-

Digitized by Google

Mundamini, qui fertis vaſa Domini: Ipſa, ipsà lacrymis genas perfuſa, & oppreſſa amaritudine, Vobis, Sacerdotes Chriſti, Vobis ſupplex manus tendit hæc præclariſſima Catholicæ Helvetiæ Respublica; Vobis ſe, vobis omnium ſuorum animas, vobis æternam populorum ſalutem enixè commendat. A vobis petit normam virtutis, regulam, vitæ, ſanctitatis exempla. Si verò, quod abſit, parùm vos commoveret hic tam vehemens Patriæ veſtræ affectus, manantes cum Civium ſanguine lacrymas ejus ſaltem inſpicite; Succurrant animis veſtris acerrima bella, pro avita Religione alacriter ab ipſis ſuſcepta, in quibus nemo eorum, quos hìc videtis, inflicta Majoribus ſuis vulnera Vobis non deteget. Tanti Illis fuit dignitas veſtra, ne eam cum Catholica Fide perire ſinerent:

# A M E N.

Digitized by Google

# SERMO IV.

## AD MONACHOS DISSERTINENSES.

Beatus, quem elegiſti & aſſumpſiſti, inhabitabit in atrijs tuis. *Pſalm. LXIV. Verſ. 6.*

SI quis Veſtrûm, Filij Cariſſimi, attentè, diligenterque perpenderit divinam hujus Prophetici Oraculi veritatem, quam in mentem Veſtram ut Apoſtolici mei muneris râtio poſtulat, breviter revocare conabor; is profectò poterit ſuffragij ſui jura tueri, humanæ cœcitatis tenebras non formidare, & juxtà Apoſtoli monitum, undequaque adimpleri agnitione voluntatis DEI. Beatus, quem tu elegeris, Domine. Non ergo illi beati

Digitized by Google

beati, quos tu non aſſumpſeris. Regnabunt quidem, ſed non ex te: præeſſe aliis gaudebunt; ſed nomina eorum cum juſtis non ſcribentur: habebunt, quas tantopere dilexerunt, primas Cathedras; ſed non intelligent, cum in honore erunt: tenebunt primos recubitus in menſis; ſed menſa illorum fiet coram ipſis in laqueum. Hoc opus illorum erit, qui à te, Domine, non eligentur, & qui fortaſſe uſque ad cœlos exaltabuntur, ut in inferna demergantur.

Scrutamini Scripturas, Filij Cariſſimi, evolvite Sanctorum Patrum ſcripta: Ex his facilè Vobis occurret, in nullo majore diſcrimine æternæ ſalutis Veſtræ opus verſari, quàm in hodiernæ Electionis negotio; quia nihil magis ſeverè requiret DEUS à manibus eligentium, quàm illorum ſanguinem, qui eorum curæ, & tutelæ ſunt committendi. Præluxit in re tanta exemplo ſuo Chriſtus, Dominus & Salvator noſter; Exijt in montem orare, & quaſi exigua eſſent diei ſpatia ad implorandum æterni Patris auxilium, pernoctavit in oratione Dei, cumque dies factus eſſet, vocavit, & elegit duodecim ex Diſcipulis ſuis. Quid nos

non docuit nox iſta beatiſſima? Quid divinæ iſtæ preces, cum clamore valido effuſæ, vobis non oſtendunt? Quis unquam Sanctorum cœleſti luce repletus intimos Chriſti ſenſus nobis reſeraſſet, niſi ipſe Dominus, qui & faciendo, & docendo erudiebat Eccleſiam Sponſam ſuam, nota feciſſet Diſcipulis quæcunque audivit a Patre ſuo? Patefactum eſt ergo Apoſtolis, arcanum, quod nox illa meruit audire. Non vos, inquit Chriſtus, me elegiſtis, ſed ego elegi vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus veſter maneat. Crevit meſſis ex hac electione, & ne quis ſponte ſuâ tanto operi manum admoveret, non anteà juſſit eos ire, quàm rogarent Dominum meſſis, ut mitteret Operarios in meſſem ſuam. Hinc poſt preces, divinâ ſorte electus Matthias; hinc vocatus Stephanus plenus fide & Spiritu ſancto; hinc Timotheo per prophetiam manus impoſitæ; hinc factum, ut ſancti Viri per omnem Eccleſiæ ætatem conſtanter, & intrepidè renuerint publica munera, nec priùs ea ſuſceperint, quàm ſignis, & portentis manifeſtam & efficaciſſimam DEI voluntatem cognoviſſent,

Nolo putetis, Filij Cariſſimi, hæc adeo Eccle-

ſiæ

ſiæ Paſtoribus convenire, ut aliæ omninò Cœnobiorum Rectoribus indictæ ſint Leges. Utrobique enim agitur de animarum regimine: eadem villicationis reddenda eſt ratio; idem ſubeundum judicium; eadem eſt pœna; idem Dominus. Satis ſuperque vobis conſtare arbitror, qualis, ſecundum Regulam veſtram, renunciandus ſit Abbas, & quæ potiſſimum ratio in ejus electione conſiderari debeat. Longum eſſet omnia enumerare, & ſingulas ejus dotes attingere. Ille ex vobis aſſumetur a Domino, quem quiſque veſtrûm effuſis ad luminum Patrem precibus, & lacrymis magis conformem agnoverit Imagini Unigeniti Filij ſui. Cum enim ejus vices ſuſtinere debeat in Monaſterio, conſequens eſt, ut pro viribus ſatagat Chriſti ſanctitatem moribus ſuis exprimere. Si quis ergo ambitione elatus, Fratribus præeſſe cuperet, hic per ſuperbiam Satanæ, non per Chriſti humilitatem incederet. Si quis imperandi libidine incenſus locum ſuperiorem appeteret, is Apoſtolos, & Chriſtum ipſum, ab honoribus, & dignitatibus abhorrentes contemneret, & irrideret. Si quis avaritiâ ductus bonis, commodis, & divitijs inhiaret, hic Judæ marſupium, &

G 2 mentem

Digitized by Google

mentem arriperet, non pauperem Chriſti animum indueret. Si quis Fratrum defectibus ignoſcere nollet, diverteret ab oneribus dorſum ejus, & ovem perditam ſuper humeros non imponeret. Si quis denique opera faceret, ut videretur ab hominibus, aulas nimirum ſæcularibus pompis refertas, atria domeſtica marmoribus diſtincta, & ad luxum parata, hortos ad animi illecebras effictos atque compoſitos; hic idem, heu quantum recederet a veſtigijs Chriſti, & quàm alienus eſſet a gerendis ejus vicibus, qui in ſumma egeſtate natus, pauper, & nudus expiravit in Cruce! Ille ex vobis a DEO aſſumptus vices Chriſti aget in Monaſterio, qui ad Evangelij præcepta, & ad Regulæ normam vitam componet. Ideò enim in Eccleſia DEI Spiritu Sancto Auctore inſtituta eſt Diſciplina Monaſtica, ut uſque ad conſummationem ſæculi mundo exhiberetur primæva Eccleſiæ naſcentis imago, in qua fuit cor unum, & anima una, nec quiſquam eorum, quæ poſſidebat, ſuum eſſe dicebat. Omnia ſpiritu charitatis decernebantur, omnia paupertatem, humilitatemque præ ſe ferebant. Qui minor erat, hic major habebatur, qui major habebatur hîc omnium

omnium erat miniſter ; Vetitum enim erat vocari *Rabbi*, cum unus omnium eſſet Magiſter.

Ab hac *ſchola Dominici ſervitij* tanquàm à puriſſimo fonte, effluxit origo præclariſſimi Ordinis veſtri, qui contrà Diaboli, & mundi nequitias fortiter pugnavit à dexteris, & à ſiniſtris: qui contrà temporis injurias, & otij inſidias admiranda veterum Patrum ſcripta ad Eccleſiæ præſidium, & ad Fidelium doctrinam ſancto opere manuum nobis ſervavit ; qui contra erumpentem Barbarorum feritatem conſtanter fovit Eccleſiaſtica ſtudia, qui cœleſti regno terrenum poſtponere Reges docuit, eorumque aulas ad ſanctitatem formavit ; qui inhoſpita terrarum loca in Angelorum domicilia convertit, Demones fugavit, idola confregit, infernum devicit. Et ne Majores veſtros hìc tacitus prætereeam, eorum præcipuè laboribus factum eſt, ut hoc indomitum Rheni Caput, quod toties Romanorum vires attrivit, ſuaviſſimo Chriſti jugo ſubjiceretur. Excipite, Filij Cariſſimi, ( utar verbis Beatiſſimi Patris Veſtri ) excipite libenter admonitionem meam, & hàc die efficaciter ipſam com-

complete. Deſignate ſuffragio veſtro Fratrem illum, qui, licet eſſet ultimus in Ordine Congregationis, eligi tamen debet vitæ merito, & ſapientiæ doctrinâ. Vocate illum ad onus Miniſterij hujus, qui ſit doctus in lege divina, qui ſit caſtus, ſobrius, humilis, & miſericors, quique Regulam in omnibus conſervet. Tunc replebitur bonis hæc Domus DEI, pingueſcent ſpecioſa hujus Deſerti, & exultatione Colles iſti accingentur. Amen.

SERMO

Digitized by Google

# SERMO V.

## *AD* MONACHOS FABARIENSES.

Iterùm dico vobis, quia ſi duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de quacumque re petierint, fiet illis à Patre meo: Quia ubi duo, vel tres congregati ſunt in Nomine meo, ibi ſum in medio eorum. *Math. Cap. XVIII. Verſ.* 19. & 20.

COràm adeſt Chriſtus. Quid timetis, Filij Cariſſimi? Fortaſſis nè, eo preſente, timidè dicam, & ſi quid velim dicendo, mihi fingere liceat? Conſulam timori veſtro, conſcientiæ meæ, rei magnitudini, ſuffragiorum leges repetendo, Chriſti præcepta memorando, æternamqne omnium Veſtrûm ſalutem in hodierna

dierna Electione conſtituendo. Eja, agite! videamus, an preces jam emiſſæ, ut DEO Auſpice, aliquis veſtrûm hujus Miniſterij, cujus causâ hùc confluxiſtis, locum impleat, conditionibus a Chriſto ſtatutis ipſi verè innotuerint. Audiſtis ſummum Patrem, quodcumque ſponſore Chriſto receptum eſt, præſtiturum, dummodo orantium mentes mutuo conſenſu coeant. Nemo ergo ſibi blandiatur, ſpiritum ſe conſilij accepiſſe, æquâ lance librando candidatorum virtutes, niſi prius Fratri ſuo reconciliatus intimo caritatis affectu ipſum complectatur. Facilè quiſquis propriæ voluntati indulgens, ſpecie recti decipitur, & Fratri, quem frigidè diligit, culpas affingens, in ejus vultu feſtucam miratur, oculis interim ſuis magnâ trabe confixis. Hinc diſcere poſſumus, quàm divino ſanè conſilio juſſerit Chriſtus, nos pacem nondum habentes, munera ipſa ad Altare relinquere; quia DEUS, qui Caritas eſt, in illo manere non poteſt, qui in dilectionis menſura ab ejus miſericordia, & amore, vel tantillùm diſcedit. Nonne Dathan, Abiron, & Core propter diſſenſionem terra fatiſcens, & mugiens in medio plebis abſorbuit? Hæc tam ma-

gna

gna divinæ potentiæ miracula pentitùs inhærebant animo primorum Fidelium, quos corde uno, & animâ unâ oraſſe legimus, ut Deus illis oſtenderet, quem ex duobus unum teſtem Reſurrectionis eligerent. Non ignorabat beatiſſimus ille cœtus, quanto animorum conſenſu, quantâque lacrymarum conſpiratione accedere debeamus ad thronum gratiæ, ut humanæ inſcitiæ tenebris, in tam ancipiti negotio, cœleſti luce diſcuſſis, divinæ mentis oracula præſentiamus. Hæ fuerunt præclaræ illæ artes, quibus non modò Eccleſia Ambroſios, Auguſtinos; Gregorios Cathedris ſuis reluctantes impoſuit, ſed Majores veſtri ex Syriæ antris, & latebris Macarios, & Pachomios deduxerunt, qui communi conſilio, communibus votis, & precibus à Divina auctoritate manantibus, victi, & coacti habenas Monaſtici Regiminis ſuſceperunt.

Sed vereor, ne multum receſſerimus ab illorum temporum felicitate, quæ tot exemplis, immò verius dicam, miraculis, unanimem animorum, & precum conſenſum comprobavit. Parum eſſet, maximam me hujus conjunctionis vim vobis oſtendiſſe, niſi etiam perpenderemus, quid ſibi velit,

congregari in Nomine JESU. Illi ſupremo DEI auſpicio, & nutu coguntur, qui ſolis DEI legibus proximique commodis intenti, uni Eccleſiæ utilitati, ſuorumque ſaluti, non temporibus, nec genio inſervientes, nihil antiquius habent, quàm ut conſilio, auctoritate, & ſuffragio ſuo eò ſemper collineent, ut munera ijs committantur, quos vitæ laudabiliter actæ meritum, virtutis præſtantia, ſanctitas morum, integritatis fama, excellentia doctrinæ, & probata rerum gerendarum experientia commendant; non quos in expetendis honoribus ambitio, & contentio impotenter extollunt. Ab hoc capite fluit plena illa amoris, & roboris, Chriſti pollicitatio, quâ in medio eorum, qui ita conveniunt, ſe adfuturum eſſe declaravit. Licet enim ipſe impleat cœlum, & terram, quonam loco meliùs conſiſteret, quàm ubi mandata Patris ſervantur, ejus voluntati mos geritur, & ad regulas ab ipſo præſcriptas omnia judicia diriguntur? Quisque veſtrûm recogitet, an hùc ideò convenerit, ut privatis rebus ſuis poſthabitis, contemptisque affectuum illecebris, in eum præcipuè ſuffragium intendat, qui duplici fultus doctrinâ, omnia bona

factis

factis magis, quàm verbis oſtendere poſſit. Recolat animo, quantum hâc lege ſacris electionibus cautum eſſe voluerit Magiſtri Regula, inque id totus incumbat, ut ſubjectorum ſalus cum DEI gloria, & Monaſterij bono copulata, omnem ejus cogitationem complectatur, & curam exhauriat. Tunc ille in nomine Chriſti conveniet, cum non recedet ab ejus voluntate, cujus vices agere debebit, ſi DEO Duce ad tantum onus vocabitur. Nam eò uſque flagravit provida Sanctiſſimi Legislatoris de Filijs ſuis ſemper benemerendi voluntas, ut undequaque depromptis ſcripturarum oraculis, quibus parùm tuta poſterorum commenta rejecit, hoc unum præ ceteris monitis de eligendo Abbate urgere curaverit. Et nihil certè aptius decernere poterat, ne in vacuum ſuffragia ferrentur, quam Chriſtum vobis ſiſtere, tamquàm hoc publico munere afficiendum; cum nemo veſtrûm de ſalutis ſuæ indemnitate adeò parum erit ſollicitus, ut Chriſto præferre audeat, quem minimè conformem ejus imagini agnoverit.

His legibus, optimi Aſcetæ, quaſi vallo muniti, & in unum ritè coacti, effundite in Chriſti ſinum ſuffragia veſtra. Faceſſat timor, redeant animis pax, & tranquillitas. Soli timeant, qui Chriſto conſociari ægrè ferunt, nimiùmque affectibus indulgentes, ejus abutuntur præſentiâ. De illis quippe ſcriptum eſt: Medius veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis; cumque in Patrem cooptare ipſum noluerint, venientem, ut Judicem experientur; Tunc revelabitur quidquid hodiè latebit, & harum Legum contemptores fruſtrà deſudabunt, ut humanæ imbecillitatis nomine culpam prætexant; quia in illa die peribunt omnes cogitationes eorum. Agite ergo, ut ſuffragia veſtra ſcribantur in libro vitæ.

# A M E N.

SERMO

Digitized by Google

# SERMO VI.

## IN CONSECRATIONE EPISCOPI A. COADJUTORIS B.

Pro eis ego ſanctifico meipſum. *Joann. XVII. ℣.* 19.

LIcet, Frater Cariſſime, ante hæc Dei altaria interrogatus, facilè, ut puto, te perſpectam habere oſtendes ampliſſimam Epiſcopalis officij dignitatem, quæ quantaque ſit & vota, & preces Matris Eccleſiæ jam ſatis tibi declararunt; attamen ne Apoſtolico muneri, quod mihi, licet immerito, incumbit, deeſſe videar, nonnulla hìc in medium adducere operæpretium arbitror, quæ nefas eſſet præterire in tanta rei magnitudine. Patere ergo, quæſo, ut ſaluberrimis monitis ex intima Chriſti doctrina depromptis divini hujus muneris difficultas tibi etiam undequaque pateat per

mini-

Digitized by Google

miniſterium infirmitatis meæ; cum ſolum mihi propoſitum ſit ad ardua quæque animum tuum erigere, erectumque confirmare, qui, licet pietate, zelo, ceteriſque virtutibus, altis velut defixus radicibus, vix poſſit labefactari, in altiſſimo tamen gradu, quem hodie aſſequeris, collocatus, ſi libenter hæc monita exceperis, faciliùs impoſterùm tecum recogitabis, quid debeas Chriſti præceptis, votis Eccleſiæ & animarum ſaluti. Audi igitur verba vitæ, & non mihi, ſed Chriſto, qui tibi loquetur, præbe cor tuum. Poſſum tibi exponere, priuſquam dicere incipiam, cur Chriſtus non ſemel, ſed iterùm, ac tertiò Petrum interrogaverit, an ipſum diligeret: cujus quidem amoris, totum id, quod erat in Petro, id unicè oſtendendum illi erat in paſcendis Dominicis ovibus, de quarum cura Chriſtus vehementer ſollicitus, illos omnes, quibus animarum cura incumberet, in tantum voluit excreſcere ardorem, ut nullis unquam laboribus fatigarentur. Sed cum nos ingredi in omnia Chriſti præcepta temporis anguſtiæ non ſinant, illud tibi præ ceteris fixum, ratumque ſit, quidquid unquam Prophetarum, & Apoſtolorum oracula

oracula nobis tradiderunt ad regendam, gubernandamque Eccleſiam DEI, id totum ſupremâ illâ obſecratione eſſe comprehenſum, quam Chriſtus tranſiturus ad Patrem emiſit, quâque nos rudes ad omne officij noſtri munus inſtruxit, atque formavit: quod profectò non feciſſet (nam poterat orare ſilentio), niſi ſe tunc noſtrum voluiſſet exhibere Magiſtrum. Ad nos ergo pertinent divina illa, & ſuprema verba amoris pleniſſima, *Ego pro eis ſanctifico me ipſum:* nec alios ſpectare credamus. Cum enim conſummaſſet opus, quod dederat illi Pater, oravit pro Diſcipulis ſuis, quos tanquam oves, in medio luporum relinquebat; Oravit, ut eſſent unum, ſicut Ipſe unus erat cum Patre, & ut in mundum mittendi, priùs ſanctificati eſſent in veritate. Quòd ſi graviſſimam horum verborum rationem, magis tibi explicatam habere deſideras, recole animo quibus Prophetarum teſtimoniis Apoſtolus Paulus contra Hebræos verum, & æternum novæ Legis Sacerdotium aſſeruit, cujus veritatem in eo maximè ſitam eſſe voluit, ut cum hircorum, & vitulorum ſanguine auferri peccata non poſſent, Chriſtus ſe Hoſtiam offerret Deo pro peccatis: quæ

quidem

quidem oblatio conſtituit ipſum Sacerdotem magnum ſuper Domum Dei. Vides quænam ſit Chriſti ſanctificatio ? non alia quidem, quàm oblatio illius Corporis, quod illi DEUS aptavit ad æternam mundi redemptionem. Nec tibi perſuadeas, te poſſe ipſius inhærere veſtigijs, & æternam gloriæ hæreditatem adipiſci, niſi hâc die, quâ conſecrandus es Chriſto, cum Chriſto dicas æterno Patri: Ecce venio, ut faciam voluntatem tuam, DEUS meus, volui, & legem tuam in medio cordis mei. Hæc ſunt firmiſſima dignitatis noſtræ fundamenta, quibus ſemel, & potenter jactis, non in vanum laborant, qui ædificant ſuper ea. Genus quippe militiæ eſt munus ſacerdotale inſtitutum a Chriſto, cui nos, tanquam Duci fortiſſimo Sacramentum dicimus, ejuſque auſpicijs à dextris, & à ſiniſtris contrà Diabolum fortiter dimicamus: Audi Apoſtolum in agone certantem, quid dicat Timotheo: *Labora, ſicut miles Chriſti.* Et ne contrà acerrimos hoſtes ſpes victoriæ concideret, non arma carnalia tractare nos juſſit, ſed adhibere potentiam DEI; non hoſtilibus quidem gladijs pugnando, ſed vigilijs, precibus, lacrymis, jejunijs, fide, conſtantiâ, verbo,

&

Digitized by Google

& exemplo, quibus ſemper milites noſtri redegerunt omnem intellectum in obſequium fidei. O nimiùm beati Antiſtites illi, quorum dux, & commilito Chriſtus erat! Quibus hodiè laudibus dignè vos efferam, qui caput, fortunasque veſtras devoviſtis pro Chriſto? Qui poſthabitis mundi illecebris, fractis Diaboli inſidijs, & devictâ tortorum immanitate, vitam, quam a Chriſto habuiſtis, pro ovibus ſuis impendere non dubitaſtis, & in ſanguine Agni laviſtis ſtolas veſtras. Adhærere faucibus lingua deberet, ſi hâc die, quâ in Ordinem noſtrum hunc Fratrem cooptamus, Veſtrûm, præ gaudio ingemiſcentes, non recordaremur. Ubi enim magna Sacerdotij illius, quod pro Chriſto geſſiſtis, imago, mentem ſubit, illicò vos, tanquam hoſtias Chriſto devotas, in odorem ſuavitatis agnoſco. Quid tibi narrabo, Frater Cariſſime, quod tu certè ipſe melius non diceres? Quid tibi proponam Sacerdotes illorum temporum, qui tanquam oves occiſionis totâ die æſtimabantur? Non equidem ignoras, ſanguinem illorum, tanquàm aquam in circuitu, ubique terrarum effuſum eſſe, cum ad præconis, & tibicinis vocem Dijs Gentium immolabantur. Noverant atrociſſimi Eccleſiæ Per-

ſecutores, nunquam minùs in cordibus Fidelium fractum, debilitatumque, firmiſſimum retinendæ Chriſtianæ Fidei propoſitum, quàm cum Paſtorum voce, & exemplo confirmabatur. Quare Majores noſtros, aut eorum juſſu Diaconos, carceres, & metalla luſtraſſe legimus, & quando feralibus impediebantur edictis, tunc divinis, graviſſimisque ſcriptis, (quorum vis validior erat Tyrannorum gladijs), ad aſpera quæque perferenda oves ſuas excitaſſe: tantoque robore earum mentes fulciebantur, ut nihil in hac vita expetendum amplius putarent, niſi quod eſſet cum Chriſti Cruce conjunctum. Hinc ortam accepimus nefariam promulgationem edicti Diocletiani, qui, cum trecentis & amplius annis, abrogando DEI Evangelio impares fuiſſent totius Romani Imperij vires, in omnes, ubicunque eſſent, Eccleſiarum Antiſtites ſævire conatus eſt, quòd perituram hoc pacto totam Chriſti fidem cum illis arbitraretur.

Sed quæres à me fortaſſe, quorsùm hæc ſpectent tam alto petita principio, & cur hujuſmodi argumentorum apparatu præcipuum Epiſcopi munus in ſui oblatione conſtituerim? Mirari deſines, cum

Digitized by Google

cum ad regimen animarum perveneris. Eo enim momento ſtatim tibi ob oculos pones, quanta ſit humanorum ingeniorum varietas, quanta affectuum diverſitas, quanta hominum malitia, quàm rara innocentia, & quàm nulla, penè dixerim, integritas. Tunc experieris, quàm ardua res ſit regere animas, & multorum moribus inſervire, & quàm parùm in hac fæce ſeculi ad Divinum hoc munus exercendum parati illi accedant, qui quærunt quæ ſua ſunt, non quæ JEſu Chriſti. Ideò enim Chriſtus eximio caritatis vadimonio ter Petrum obſtrinxit, ut Magiſtri exemplo, qui venerat animam ſuam poſiturus pro nobis omnibus, in quibus erat, & Petrus, Diſcipulus quoque diſceret fortiter mori pro ovibus, quas amanti ſibi commiſſas, à Domino paſcendas acceperat. Nec putes jam rabie Tyrannorum reſtinctâ, bellum noſtrum eſſe confectum, & poſſe nos invadere jura triumphi, aliorum ſanguine aſſerta. Manent adhuc nos, ſemperque manebunt, foris timores, intùs pugnæ, ad quas ſigno dato concurrere nos jubet Apoſtolus, & dimicare contra Principes, & Poteſtates, & contrà mundi Rectores tenebrarum



Digitized by Google

harum. Nam tanta profectò eſt mortalium animorum perverſitas, & tam profunda vitiorum libido, ut vix dies vacua nobis ſuperſit, in qua non debeamus nos murum opponere pro Domo Iſrael, tradere corpora noſtra pro teſtamento DEI, & anathema eſſe pro Fratribus noſtris; cum nos, qui vivimus (teſtante Apoſtolo) ſemper in mortem tradamur propter Jeſum. Aſpice Ipſum, ut fortiter peracto bello ſigna triumphalia inferat cœlo: Vides, ut devictis hoſtibus, eorum cruore perfuſum totum madeat indumentum ejus. Hæc tibi ante oculos dies, noctesque obverſetur victoria. Hæc penitùs hæreant animo tuo humanæ ſalutis inſignia, & ſtatue nunquam ad regimen animarum capeſſendum, ſuſtinendumque te aptè poſſe conferre, nihilque aut amplum, aut magnum ſuſcipere, niſi in hâc una muneris tui cogitatione defixus, te Chriſto undequaque devoveas. Quòd ſi nobis tam beatos eſſe non licet (id quod Majoribus noſtris bene feliciterque evenit) ut exilio mulctemur, in carceres detrudamur, à beſtijs dilaniemur. Erige mentem, & cogita non minimam Officij noſtri partem nos aſſequi poſſe, ſi tales nos præſtiterimus,

quales

quales in altera ad Corinthios Epiſtola nos formavit Apoſtolus, in anguſtijs, in tribulationibus, per gloriam, & ignobilitatem, per infamiam, & bonam famam. Nam quid hoc eſſet, dic, Frater, ſi hoc omninò non eſt, licet ſanguis lictore ſæviente non profundatur, ſe devovere pro Chriſto; cum tu non laboribus deterritus, non Satanæ colluctatione fractus, non mundi inſanientis ludibrio commotus, quas populo, quas Eccleſiæ partes debes, diligentiſſimè explebis? Interroga Majores noſtros, quorum animis ita Chriſtus inſederat, ut ore, vultu, geſtu, & factis (quantum homini datur) ipſum exprimerent, & qui Cruci ſemper infixi, habebant unde vis illa Epiſcopalis, & ardor magis ac magis accenderentur, & unde peterent exempla ſapientiæ, & doctrinæ, quibus nemo reſiſtere poterat. Noverant Dominum JEſum in conſummatione operis, quod dederat illi Pater, à quo tu hodiè vocaris in conſortium laboris, & poteſtatis, poſtulatum fuiſſe de Legis violatione, de præſtigijs, de crimine Majeſtatis, de inſania, de ambitu, de blaſphemia, quòd cibis ſe ingurgitaret, quòd vino indulgeret, quòd ad amicitiam Publicanorum ſe aggregaret,

Digitized by Google

gregaret, quòd templum vellet evertere, quòd publicam quietem conturbaret, & quòd Dæmonium haberet. Non diſparem ſanè conditionem tulit nobis DEUS, cum non ſit Diſcipulus ſuprà Magiſtrum, nec Servus major Domino ſuo. Nunquam ergo tibi excidat quid Athanaſio, quid Chryſoſtomo, ceteriſque Chriſti Sacerdotibus acciderit; tùm cum admirabili animi fortitudine, ne Catholica Fides, ne populi mores, ne Cleri diſciplina ingruentibus, & undique ſævientibus vitiorum procellis labefactarentur, periculo capitis, famæ, honoris, & dignitatis providere non dubitarunt; Et quamquam (O abyſſus judiciorum DEI!) nulli hominum generi, nulli ſexui, nulli ætati, nulli humanæ miſeriæ pro Chriſto Legatione fungentes, conſultum eſſe non voluiſſent, didicerunt tamen quid poſſent Diabolus, & invidia, virtutis hoſtes perpetui; Sed obtrectatorum calumnijs minimè prægravati, nec perditorum hominum minas pertimeſcentes, intrepidè ſteterunt adversùs Satanam, mundum, & carnem, ſectatoreſque Satanæ, filios nempe hujus mundi, prudentiâ carnis abundantes, in quos non ancipitis victoriæ jura, & illis

illis, & nobis DEUS conceſſit. Tenemus, quantum nefarij homines in ſanctiſſimos illos viros imprudentiæ ſuæ frena laxaverint, quæque horrenda crimina à labijs operantium iniquitatem in eorum innocentiam conflata fuerint: in Athanaſium ſtuprum, & homicidium: in Baſilium arrogantia, & immanis ambitio: in Ambroſium tyrannis: in Chryſoſtomum ſuperbia, & intolerabilis aliorum deſpectus: in Auguſtinum dogmatum novitas: in Paulinum Nolanum inſipientia, & deliratio: in Martinum Turonenſem patrocinium hæreticorum: in Thomam Cantuarienſem effrenata rixandi libido: inque maximum ſuperioris ævi, neque in pluribus numerandum, Eccleſiaſticæ diſciplinæ inſtauratorem, Carolum, dico, Cardinalem Borromæum, quænam convicia ab improbis, imperitisque hominibus jacta non fuerunt? Quibusnam contumeliarum aculeis publicè etiam aliquando impetitus non fuit, tùm cum majori ſtudio contenderet collapſos Cleri mores reſtituere, & jura Eccleſiæ tueri? Hæ tùm paſſim inſanæ voces audiebantur (& utinam aliquando tandem quieſcerent) quòd Vir ſanctiſſimus vellet quidquid ſibi luberet, quòd importunâ ſeve-

Digitized by Google

ſeveritate Reges, & Principes irritaret, quòd abſtinentiam, virtutem eximiam, & caſtitatis cuſtodem, nimiùm coleret; quòd tot decreta in Conciliis Provincialibus edens, immane jugum populo imponeret, quòdque Sacerdotij ſervitutem in imperij arcanum converteret. Sed has vulgares, & ineptiſſimas voces Carolus contempſit, ac velut ignis, flammâ conceptâ, in incendium flantibus ventis latè magis excreſcit, adeò inceptæ morum caſtigationis, & Reformationis ardore totus deflagravit, ut majorem tunc vim adhibuerit, omnesque Divini ſpiritus nervos emendandæ Cleri diſciplinæ contulerit, quam turpiter dejectam ceteris malis cauſſam dediſſe Vir DEI animadverterat, & quâ ſtante, fore ſperabat, ut omnia inde bona conſurgerent. Quare maximo vitæ periculo identidem laboravit, ut eam ſuo nitori priſtino reſtitueret. Sed quid ego exemplis longè deductis te detineo, ut hanc ſummam animo tuo inſeram Paſtoralis Officij partem, quam pro populi ſalute, & quod caput eſt, pro Cleri diſciplina impigrè aggredi, & ſedulò implere nitaris, Leva in circuitu oculos tuos, & vide, quanta olim mala profluxerint in perniciem animarum,

rum, Paſtoribus fortaſſe dormientibus, & inimico homine ſuperſeminante zizania. Vide & per exitus aquarum deduc oculos tuos, quia pares lacrymas tot ærumnis non habent oculi mei. Vide, Collega, vide, & conſidera, cur hæreditas DEI verſa ſit ad alienos, domus ejus ad extraneos, & cur facti ſimus opprobrium vicinis noſtris; Me certe non fugiunt (quamquam horret animus meminiſſe) graviſſima verba, quibus Apoſtolicæ Sedis Legati in admonitione ad Tridentinos Patres publicas haſce defleverunt jacturas: *Quod lapſam morum diſciplinam complectitur*, inquiunt, (audiant qui ore ſacrilego Cleri diſciplinam irrident, & tot malis tam facilè indulgent) *nihil attinet diù investigare, quinam tantorum malorum Auctores fuerint, cum præter nos ipſos, ne nominare ullum alium Auctorem poſſimus.* Nolo commovearis, ſi in extremo pono, quod liberè ſentio; loquor enim coram Chriſto judice noſtro, cujus ſanguis, quem modo ad Altare ſumturus es mecum, in teſtimonium veritatis effuſus, omnem a nobis ſpiritum timoris expellit, & loquor tanquam qui poteſtatem habet, gerens

 vicem

vicem illius, qui ſemel miſsâ ad aratrum manu nunquam reſpexit retrò, ſed unanimi conſenſu Patrum, Pontificatum maximùm ſubire coactus, cuncto orbe ſpectante, inter jejunia, vigilias, & preces ſollicitudinem omnium Eccleſiarum magnis laboribus ſuſtinet.

Collige vires, Frater cariſſime, & ſummi animarum Paſtoris Chriſti JESU, ejuſque Vicarij exemplo excitatus, præbe teipſum DEO, tanquam hoſtiam & oblationem. Urge conſtanter Cleri diſciplinam, quæ in luce hominum poſita, ſi ad rectam vivendi normam componatur, in via ſalutis tanquam certum ſidus omnibus præfulgebit. Non te terreat inexpiabilis quorundam audacia, qui generis ſplendore, & Familiæ amplitudine elati, jugum Chriſti dedignari videntur, dumque nullis legibus ſe conſtringi poſſe putant, doctrinam, fugam ſæculi, habitum Clericalem, & publicum pſallendi inſtitutum Spiritu Sancto Auctore diſpoſitum, ejuſque oraculis toties aſſertum, & vindicatum, tanquam degeneram conditionem ſæpe faſtidiunt. Pone frenum in maxillis eorum, ut Eccle-

Eccleſiæ miniſterio addicti, Matris præceptis obtemperent, & diſcant tandem, te habenas moderante, ideò renunciato ſeculo accepiſſe portionem Domini, ut illi ſoli ſervirent ſemper in ſanctitate, & juſtitia. Prædica verbum, nec Apoſtoli mandato intercedas, quaſi uſum non habeas. Egerunt olim hanc cauſſam Moyſes, & Hieremias, obtendentes imperitiam ſermonis, ſed qui linguas infantium facit eſſe diſertas, adſuit potenter ori eorum, ut loquentes de teſtimonijs ſuis in conſpectu Regum non confunderentur. Amari ſolum ſe Chriſtus flagitavit a Petro, dum illi animarum curam committeret, quia amor ipſe verba miniſtrat, & nemo, quàm qui ex affectu diligit, majori utitur fiducià loquendi. Memor eſto non ritu inani, nec ludicro apparatu, hodiè, jubente Eccleſià, humeris tuis impoſitum fuiſſe Evangelium, quia eodem ſpiritu per manus noſtras accepto, quo repleti ſtatim Apoſtoli cæperunt loqui, æterno mulctareris ſupplicio, niſi verè, & legitimè, non ſponte, & ingenio tuo impeditus in captivitate detineres hunc eundem ſpiritum, qui habet omnem ſcientiam vocis, & qui in alendo Chriſti grege te omnia do-

 cebit.

Digitized by Google

cebit. Ora ſine intermiſſione, fuge ſæculares pompas, calca terræ divitias, & forma gregis factus, præbe teipſum exemplum bonorum operum. Blandientur tibi amici hujus mundi, qui arte quâdam ad Chriſti Crucem evacuandam ſubdolè inventâ, multum de Apoſtolica vivendi norma in hoc indulgentiſſimo ſæculo à nobis remitti poſſe garriunt, quaſi Divina Evangelij Regula temporum vicibus, & non DEI oraculis alligaretur. Tu verò, Dilectiſſime Frater, tene viam arctam, illam dico, quam mundus ignorat, quamque Chriſtus ſanguine ſuo nobis munivit, & ſtravit. Aperi ovibus tuis à via prava revertentibus perennes Divinæ miſericordiæ fontes, immenſosque cœleſtis gratiæ theſauros, Chriſti laboribus partos, & morte ejus in omnium & ſingulorum ſalutem copiosè congeſtos; ſed contunde ſuperbiam illorum, qui carnis prudentiâ obcæcati, cœlorum Regnum nullâ violentiâ aggredi ſe poſſe putant, & mone eos, quòd fruſtra Evangelio credimus, niſi in ſacrificium juſtitiæ dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Viſita Diœceſim, & gregem, & cave obſecro, ne in aliorum

ſuum ſinu, ubi plerique noſtrûm conquieſcunt, & dormiunt ſomnum ſuum, deponas hanc curam, quam tibi infigit non Angelus de cœlo, ſed DEUS ipſe jurejurando devinctus. Vivo ego, dicit Dominus, ecce ego ipſe ſuper Paſtores, ut requiram gregem de manu eorum; qui ſcilicet per ſe cuſtodire, & paſcere debent, non de manu illius, qui vicariâ fungitur poteſtate. Nullam tanti judicij deprecationem afferent tibi mores gentium, aut temporum difficultates; quia hæc eadem non prohibuerunt Chriſtum, quo minùs ſiti vexatus, inimicam generi ſuo provinciam perluſtraret; & nec vincula, nec beſtiæ, nec ignes detinuerunt Paulum, ne inviſeret, & doceret Fratres, qui de domo Cæſaris erant.

Cum ergò ſedebis in puppe Eccleſiæ, navim adversùs fluctus guberna, & ne graves hujus ſæculi te concutiant procellæ, tene clavum Fidei, & diſciplinæ, ut ad portum cœleſtis patriæ contendens, Chriſto tecum rationem poſituro reſpondeas: *Ego pro eis ſanctificavi meipſum, & quos dediſti mihi, non perdidi ex ijs quemquam.* AMEN.

SERMO

# SERMO VII.

IN

## BENEDICTIONE ANTISTITÆ PARTHENONIS SEEDORFFENSIS.

LEctio ſancti Evangelij, quam modò à Diacono recitari audiſtis, F. C., exhibet nobis perfectiſſimam Paſtoris imaginem, & incredibilem amiſſæ ovis felicitatem. Nam Chriſtus Redemptor noſter, quí, tamquàm medicus ſanaturus ægrotos, venerat ſalvum facere quod perierat, obtrectantium Phariſæorum, quòd ipſe cum Publicanis manducaret, impuriſſima & proterva ora compreſſit, & Paſtoris, ovem quærentis exemplo, ſuammet cauſam fortiter egit, & hanc vivendi conſuetudinem ad conciliandos ſibi peccatorum animos maximè

Digitized by Google

maximè opportunam, ſtrenuè propugnavit. Ut verò tot tantaque beneficia memori animo recolamus, in hoc veſtro ſolemni Conventu, quo per manus noſtras hanc Virginem à DEO electam, in miniſterium hujus ſacri Cœtus hodiè conſecramus, temperare non poſſumus, quin vehementer unumquemque veſtrûm hortemur, ut explanantibus nobis tanti muneris partes, immenſam Redemptoris noſtri JESU Chriſti caritatem contempletur: omnes enim nos, juxta Iſaiæ Prophetæ dictum, tanquàm oves erravimus, unuſquiſque declinavit à via ſua; & rugientis leonis, ad eſcam præparati, inſidias evitare nunquam potuiſſemus, niſi divinus Paſtor animarum ſuam animam dediſſet pro ovibus ſuis. Monita ergo, quæ ex Evangelica parabola breviter eruemus, multiplicem habebunt doctrinam, & communem afferent utilitatem: ſacræ quidem Antiſtitæ, ut in gerendo munere ab hoc exemplo non diſcedat; Vobis verò, ut in recenſendis tot divinæ miſericordiæ documentis, quantum debeat genus humanum ſummo animarum Paſtori, facilè intelligatis.

Intuêre

Intuêre modò, Dilecta in Chriſto Filia, egregias & nobiliſſimas artes, quas ad avertendam ovis internecionem, Paſtor excogitavit; easque ad tria capita mecum commodè refer: nempe ad caritatem, ad perſeverantiam, & ad inſtitutionem.

Dic, quæſo, quænam major uſquàm extitit caritas, quàm ubi eo ipſo momento temporis, quo, grege deſerto, miſera ovis aliò migravit, bonus Paſtor mox iter arripuit, properaturus ad eam, quæ perierat? Videbat reliquas oves in tuto poſitas; plurimum tamen amori & curæ ſuæ deeſſe putabat, niſi errantem, inque ſummo diſcrimine adductam, cum ceteris ſalvam faceret. Tanti ne ergo erat unica iſta & infelix ovicula, ut Paſtor, omnes gregis ſui opes quaſi faſtidiens, acerbiſſimâ animi ægritudine torqueretur, ac ſi ipſi ex eadem amiſſa duræ egeſtatis pericula impenderent? Quid! non naturâ, non pretio, non fructu ovis illa ceteris præſtabat, & adeò vehementer de ipſius ſalute Paſtor laborat? Hanc, Filia, cordi tuo altè infixam caritatem fovere debes, cum extrà ſepta, id eſt, extrà Monaſticæ diſciplinæ terminos, aliquam ex ovibus tibi commiſſis vagari offenderis, ſurge, vade

vade, propera ad illam; nec tibi blandiaris, quaſi munere tuo bene perfuncta, quòd nonaginta novem ſanctis Regulæ præceptis addictæ permaneant, niſi illam, quæ longè abeſt, anxiè & ſollicitè inquiras. Hoc exemplo tibi Chriſtus prætuxit, qui in omnium & ſingulorum ſalutem ſanguine effuſo, apertè te docuit, quantum unius animæ ſalutem pretioſiſſimam cenſeat; teſte Apoſtolo, qui non dubitavit publicum redemptionis beneficium, tamquàm totum ſibi ſoli collatum his verbis deprædicare: **Dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.**

Sed non ſatis eſt, Filia, ut eas ad ovem, quæ perijt; ſed quod maximè urget, pergere & quærere debes, donec invenias. Habes hìc admirabile ſpecimen perſeverantiæ, nè laboribus deterrità, animum deſpondeas. Quamobrem finge nunc tibi circumire Paſtorem mille viarum anfractus & ambitus, modò luſtrare valles, modò per ſaxa, per rupes, & ſcopulos audacter petere opaca ſilvarum, modò immanes belluas jam prædæ inſtantes arcere

arcere. Non obſtant dumeta, nec vepres, quin omnia irrumpat, omnia pervadat. O ardentiſſimi amoris vis incredibilis! quoquo nos vertimus, tua veſtigia conſpicimus: hinc ad Samariæ fontem, hinc in domo Simonis leproſi, hinc inter ipſa Publicanorum telonia; hâc tandem arte, (in noſtro indulgentiſſimo ſæculo nimiùm neglectâ) oves fuerunt inventæ. Etenim hùc ſemper redibit totius paſtoralis ſollicitudinis ratio, ut quisquis regimen animarum capeſſit, maximos labores offendat, eoſque invicto erectoque animo devoret. Quòd ſi in propulſandis à tuarum ovium capite periculis omnibus ſegnem operam navabis, & vel leviter fatigata langueſces; ſtatìm abjeciſſe videberis curam, & munus Paſtoris, qui nec punctum quidem temporis reſpiravit, ſed uſque in finem oves ſuas dilexit.

Parùm eſſet Paſtori ovem invenire, niſi inventam humeris ſuis gaudens impoſuiſſet; cum enim per invia ovis erraverit, & aliena amaverit paſcua, antiquum tramitem oblita, ad ſepta redire non poterat, & metu trepida, errorisque conſcia, juſtam Paſto-

Paſtoris iram & ſociarum conſortium averſabatur. At ille, qui totus amore ejus ardebat, ream miſeratus, afflictam recreavit, jacentem erexit, & extorrem avitis locis reſtituit. Non eſt cur nos diù detineat hæc poſtrema parabolæ pars; cum te, Filia, apprimé jam tenere putamus, quid ſibi velit poſt tot exantlatos labores, novum hoc ac planè inſolens amoris beneficium. Divinis ergò edocta oraculis, inſpice, & fac ſecundùm exemplar. Si quam errori obnoxiam, & à recta via aberrantem ſororem deprehenderis, doce eam in ſpiritu lenitatis, & cœleſtibus diſciplinis inſtitue: rudem optimis moribus imbue, nutantem ſpe gloriæ confirma, tepidam metu futuri judicij affice, remiſſam acue exemplo, quod quidem, ſi ulla alia res eſt, quæ poſſit vehementiùs eam incendere, hæc certè eſt.

✠ Habes hodie in manu tua, (tanquam molliſſimam

L 2

✠ *Hâc ipsâ die Virgines quatuor ſe Chriſto devovebant.*

liſſimam ceram ad pietatem fingendas), puras ac innocentes animas harum virginum, quæ oblitæ populum ſuum & domum patris ſui, intùs agente flagrantiſſimâ Chriſti gratiâ, coram DEO & Angelis ejus, vota ſua nuncuparunt. Trahe eas poſt te; ſubde earum colla ſuaviſſimo Chriſti jugo: Sed nè in transverſum agantur, collo tuo ita hoc jugum priùs adhæreat, ut nequeat ab onere excuti, & à viæ, quæ arcta eſt, aſperitate depelli. Quod tibi DEUS per miſericordiam ſuam præſtare dignetur.

# AMEN.

EPI-

Digitized by Google

# EPISTOLA ENCYCLICA
PRIMA
# AD EPISCOPOS
CONSTANTIENSEM, BASILEENSEM, LAUSANNENSEM, CURIENSEM, ET SEDUNENSEM,
## DE OPUSCULO,
Cui Titulus:

*MONITA AD CONTINENDOS SACERDOTUM MORES.*

APoſtolicæ Legationis munus, quo duobus abhinc annis, juſſu Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Innocentii XIII. Pont. Max. fungor in his oris, licèt tanto oneri impar,

Digitized by Google

impar, nec ijs virtutibus fultus, quibus concrediti Officij partes explere valeam; exequi tamen, ac tueri, quantum poſtulant vires, deſiderans, meum eſſe putavi, ijs omnibus rebus animum intendere, quæ pertinent ad Catholicæ Fidei cultum & dignitatem. Illo enim momento temporis, quo Pontifex Optimus has mihi delegavit Provincias (& quo certè aliud peccatis meis debebatur) ardentiſſimo quo flagrat ipſe zelo pro Eccleſia Dei, juſſit, me Religionis negotia præ ceteris impigrè curare. Cumque hæc fuerint ſummè veneranda ipſius mandata & monita; Tu, Cariſſime Frater, doctrinâ, ſcientiâque, quâ polles, meliùs quàm verbis tenuitatis meæ, aſſequi poteris, nihil quidquam magis animarum ſaluti, & Religionis Catholicæ puritati conducere, quàm ſanctiorem Cleri diſciplinam; illam dico, quam Eccleſiæ Patres, omnium ſæculorum unanimi conſenſu, nos docuerunt; quam Summorum Pontificum Decreta, & Concilia ſartam tectamque voluerunt: ut Miniſtri Domini, Clerici nempe & Sacerdotes, in ſortem ipſius

Digitized by Google

ipſius vocati, ſancti eſſent, quoniam ipſe ſanctus eſt. Quod quidem illi minimè præſtabunt, niſi virtutibus emineant, & alijs exemplo ſuo præfulgeant. Nihil mihi laborandum eſt in aſſerenda hujus ſententiæ veritate; cumque dicendo, minus facerem, quod ſcribere conſtitui; integra ipſa ſacro-ſancti Concilij Tridentini verba referre ſat erit, quæ à Spiritu Sancto profecta, totam de Cleri moribus Eccleſiæ doctrinam, in omnibus retrò ſæculis, laboribus & ſanguine Majorum noſtrorum aſſertam, atque propugnatam, veluti in tabula quadam redactam, nobis diù noctuque animo repetendam proponunt. „ Nihil eſt, ajunt Tridentini Patres *in Decreto de Reformatione, Cap. I. Seſſ. XXII.* „ Nihil „ eſt, quod magis ad pietatem, & DEI cultum „ aſſiduè inſtruat, quàm eorum vita, & exemplum, „ qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cum enim à „ rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpici„ antur, in eos, tanquam in ſpeculum, reliqui ocu„ los conjiciunt, ex ijſque ſumunt quod imiten„ tur. Quapropter ſic decet omninò Clericos, in

„ for-

Digitized by Google

„ ſortem Domini vocatos, vitam, moresque ſuos
„ omnes componere; ut habitu, geſtu, inceſſu,
„ ſermone, alijſque rebus, nil niſi grave, modera-
„ tum, ac religione plenum præ ſe ferant; levia
„ etiam delicta, quæ in ipſis maxima eſſent, effu-
„ giant; ut eorum actiones cunctis afferant vene-
„ rationem. Cum igitur quo majore, in Eccleſia
„ DEI, & utilitate, & ornamento hæc ſunt; ita
„ etiam diligentiùs ſint obſervanda, ſtatuit Sancta
„ Synodus; ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, &
„ à Sacris Concilijs, de Clericorum vita, honeſta-
„ te, cultu, doctrinaque retinenda, ac ſimul de
„ luxu, commeſſationibus, choreis, aleis, luſibus,
„ ac quibuscùmque criminibus, necnon ſæcularibus
„ negotijs fugiendis, copioſè & ſalubriter ſancita
„ fuerunt; eadem impoſterùm, ijſdem pœnis, vel
„ majoribus arbitrio Ordinarij imponendis, obſer-
„ ventur; nec Appellatio executionem hanc, quæ
„ ad morum correctionem pertinet, ſuſpendat. Si
„ qua verò ex his in deſuetudinem abijſſe compe-
„ rerint, ea quamprimùm in uſum revocari ſtude-
ant;

„ ant; non obſtantibus conſuetudinibus quibuscun-
„ que : ne ſubditorum neglectæ emendationis ipſi
„ condignas, DEO vindice, pœnas perſolvant.

His igitur aureis verbis firmati, & veluti tubâ exciti ad bonam illam militiam, ad quam ante tempus reſolutionis ſuæ adhortatus eſt Timotheum Apoſtolus; nihil horum prætermittere debemus, quæ ad Clericorum Sanctitatem conducunt, nihil noſtrûm remittere, quominus, exemplo Chriſti, & faciamus & doceamus. Ob hanc ergò præcipuè cauſſam, ut eſſent oculis breviter expoſita, quæ ſparsìm in monumentis Eccleſiaſticis occurrunt; operepretium duxi, denuò in lucem edere libellum, qui cum jam Romæ prodiiſſet, exemplarium penuriâ, è manibus pœnè exciderat. In hujuſmodi enim opuſculis animus legentium non fatigatur, & fidelis retinet quæ breviter percipit, ipſo teſte S. Cypriano, qui in *Præfatione Teſtimoniorum ad Quirinum*, huic utilitati, exemplo præluxit. „ Legentibus,
„ inquit, brevitas hujuſmodi plurimum prodeſt,
„ dum non intellectum legentis & ſenſum liber

 „ longior

Digitized by Google

„ longior ſpargit, ſed ſubtiliore compendio id quod „ legitur, tenax memoria cuſtodit.

Hoc fuit in more poſitum apud antiquos Patres, qui Commonitoria, Specula, Brevicula, Indiculos, & Regulas conſcripſerunt; ut faſtidientes volumina brevioribus monitis allicerent, & vel nolentes traherent ad ſacram lectionem. Unus inſtar omnium ille mihi fuit, & ſemper erit in paſtoralis ſollicitudinis zelo, cum Antiquis omnibus comparandus S. Carolus Borromæus, qui hác eadem viá (ut Acta Eccleſiæ Mediolanenſis teſtantur) commiſſi ſibi gregis utilitati, non minùs quàm nobis pleniſſimè conſuluit. Jure mihi uſurpandum venit tanti viri exemplum: cum nemo neſciat, quid ipſi, poſt totam Eccleſiam, debeat Helvetia Catholica. Ipſius enim planè divino conſilio, & ope, hoc Apoſtolicæ Legationis munus Lucernæ inſtauratum eſt; hâc potiſſimùm ratione, (quam Gluſſianus in ejus vita memoriæ mandavit,) nimirùm ut Legatus Sanctæ Sedis cùm in Catholicæ Religionis propugnationem, tùm in Cleri diſciplinam

Digitized by Google

nam, ſervandam, promovendamque totis viribus incumberet. Væ mihi, ſi ad alia negotia converſo hoc graviſſimum monitum negligentiùs exequi, & cuſtodire contingeret!...

Hujus ergò libelli, Cariſſime Frater, ad te nonnulla exemplaria mittere decrevi, tanquàm teſſeram amicitiæ, & amoris mei, vel, ut verius dicam, tanquàm ſignum illius unitatis, & fraternitatis, quibus in Chriſto ſociamur. Si quid verò utilitatis in Clerum tuum ex ipſo derivare cognoveris; auctoritate, & nomine tuo rursùm editum in tua Diæceſi prodire jubebis. Conſcius enim paupertatis, ac inſipientiæ meæ, hoc totum curæ, & eximiæ prudentiæ tuæ judicio, quod, ut par eſt, ſemper magni faciam, penitùs committo.

Unum addam (quod non ſine magno dolore compellor dicere) ceterarum rerum, quas huc uſque attuli, fundamentum; interſtitiorum nempe rationem diligentiſſimè obſervandam eſſe. Parentes enim aliquando, quæſtûs & lucri cauſâ, ſatagunt filios ad gradum Sacerdotalem urgere, nec ullis

M 2 parcunt

Digitized by Google

parcunt Potentiorum officijs, ut voti compotes evadant: maximo certè detrimento diſciplinæ, quæ Eccleſiaſticæ militiæ tirones, ſtatis intervallis, per gradus ambulare jubet; ne qui herì erat prophanus, hodiè fiat Sacerdos: & qui pridiè totus vivebat ſæculo, vix ſæculari habitu mutato, ad Altare operetur. Quid ego hùcuſque præſtiterim, te, Cariſſime Frater, non latere arbitror. Horum importunis petitionibus Eccleſiæ decreta oppoſui, nec ab ijs me unquam dimoveri paſſus ſum. Licet enim ſacro-ſancti Tridentini Concilij, & ſanctorum Patrum ſtatutis, neceſſitas, aut etiam utilitas Eccleſiæ judicio Epiſcopi aliud aliquando expoſcere videatur; magno tamen, & ſedulo veritatis examine, in concedendis Apoſtolicis indultis, mihi opus eſſe intellexi: cum valdè ponderare debeamus nomina iſta *Neceſſitatis* & *Utilitatis*, ac æquè diſcutiendæ veniant certæ illæ & legitimæ cauſſæ, quæ Canonum rigorem remitti poſtulant. Plerùmque hæc petentibus & efflagitantibus talia non videntur, quæ mihi graviſſima ſæpe acciderunt: Nam Decreta

Summo-

Digitized by Google

Summorum Pontificum, & Concilia ſemper conſcientiam noſtram volunt oneratam.

Hæc ſunt, quæ tibi, Cariſſime Frater, ſignificare me cogit ratio muneris mei. Supereſt modò, ut te enixè obteſter, per ſanguinem JESU Chriſti, quo tuis precibus miſericordiam DEI mihi inſtanter concilies; ne peccatorum meorum ſarcinâ obrutus, quod loqui audeo, operibus oſtendere & complere prohibear.

Dabam Lucernæ XIII. Kal. Novemb: Anni M. DCC. XXIII.

MONI-

Digitized by Google

# MONITA
AD
# CONTINENDOS
## SACERDOTUM
MORES

*EX SACRIS CONCILIIS ET ECCLESIÆ PATRIBUS.*

EDITIO TERTIA.

## AD LECTOTOREM.

*VIr pius, & in ſcientia DEI profectò eruditus unanimes Conciliorum, & Eccleſiæ Patrum Sententias, quæ ſacros Miniſtros ſui officij commoneſacerent,* in

Digitized by Google

*in unum collegit , ediditq; Romæ Anno* 1672. *opus egregium , & digniſſimum certè , quod manibus eorum , qui in ſortem Domini vocati ſunt , diù , noctùque teratur , vel eo nomine , quod ipſismet Oraculorum Eccleſiæ verbis confectum eſt. Hoc quum inventu difficillimum eſſet , nunc iterùm typis illud excudere , viſum eſt , univerſis Sacerdotibus pergratum futurum , & inſtar Catenæ aureæ habendum. Tam inſigni opellâ fruere lector , atque illi , qui eandem tecum communicandam curavit , apud Deum bene precare.*

Interroga majores tuos , & dicent tibi.
*Deut.* 23.

I. Propterea

I.

PRoptereà vocantur Clerici, vel quia de ſorte ſunt Domini, vel quia ipſe Dominus ſors, id eſt, pars Clericorum eſt. Qui autem vel ipſe Domini eſt, vel Dominum partem habet, talem ſe exhibere debet, ut & ipſe poſſideat Dominum, & poſſideatur à Domino. Quod ſi quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. *S. Hieronymus Epiſt. ad Nepotian.*

II.

Quid Poteſt eo eſſe felicius, cui efficitur ſuus Conditor cenſus; & hæreditas ejus dignatur eſſe ipſa Divinitas? *S. Proſper lib. 2. de vita activ. cap. 16.*

III.

Cui portio DEUS eſt, nihil curare debet præter DEUM, ne alterius impediatur, neceſſitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc Religio-

Religionis cultui atque huic noſtro officio decerpitur. *S. Ambroſ. de fuga Sæcul. cap. 2.*

IV.

Qui DEUM hæreditate poſſident, abſque ullo impedimento ſæculi, DEO ſervire ſtudeant, & pauperes ſpiritu eſſe contendant, ut congruè illud Pſalmiſtæ dicere poſſint: Dominus Pars hæreditatis meæ. *S. Iſidorus Hiſp. lib. 2. de Offic. cap. 1.*

V.

Gloria Epiſcopi eſt inopiæ pauperum providere. Ignominia Sacerdotis eſt, propriis ſtudere divitijs. *S. Hieronym. Epiſt. ad Nepotian.*

VI.

Portio noſtra ſit Dominus, atque adſcripti turmis contribulium levitarum, non remaneamus terreni, quibus terra non remanet; inchoemusque ut à ſæculi lucris, ſic quoque à culpis peregrinari. *Sidon. Apoll. lib. 9. Epiſt. 3.*

VII.

Eligant ſibi alij partes, quibus fruantur terrenas & temporales; portio Sanctorum Dominus



Digitized by Google

æternus eſt: bibant alij mortiferas voluptates, pars Calicis mei Dominus eſt. *S. Auguſtin. in Pſal.* 15.

VIII.

Si vix in Laicis tolerabilis videtur inſcitia, quantò magis in ijs, qui præſunt, nec excuſatione digna eſt nec veniâ. *S. Leo Epiſt.* 22.

IX.

Quid enim periculi ſit, ubi non invenit paſtor paſcua, ignorat Dux itineris viam, Vicarius neſcit Domini voluntatem; Eccleſia quotidiè multipliciter & miſerabiliter experitur. *S. Bernard. in declam. cap.* 6.

X.

Cur non illa tempora, quibus ab Eccleſia vacas, lectioni impendas? Cur non Chriſtum reviſas? Chriſtum alloquaris? Chriſtum audias? Illum alloquimur, cum oramus, illum audimus cum divina legimus oracula. Quid nobis cum alienis domibus? *S. Ambroſius. lib.* 1. *Offic. c.* 20.

XI.

Quid ſit pietas quæris? Vacare conſiderationi. *S. Bernard. lib.* 1. *de Conſid. cap.* 7.

XII. Di-

Digitized by Google

XII.

Divinas ſcripturas ſæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis ſacra Lectio deponatur : diſce quod doceas, obtine eum, qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem, ut poſſis exhortari in doctrina ſana. *S. Hieron. Epiſt.* 2. *ad Nepotian.*

XIII.

Cœleſtium ſcripturarum eloquia diù terere, ac polire debemus, toto animo, & corde verſantes; ut ſuccus ille ſpiritualis cibi in omnes ſe venas animæ diffundat. *S. Ambroſ. lib.* 2. *de Abel cap.* 6.

XIV.

Tanta debet eſſe ſcientia, & eruditio Pontificis Dei, ut greſſus ejus, & motus, & univerſa vocalia ſint. Veritatem mente concipiat, & toto eam habitu reſonet, & ornatu; ut quidquid agit, quidquid loquitur, ſit doctrina populorum. *S. Hieron. Epiſt.* 128.

XV.

Sacerdotes DEI, omiſſis Evangelijs & Prophetis, videmus Comœdias legere, amatoria Bucoli-



Digitized by Google

corum verſuum verba canere, Virgilium tenere; & quod in pueris neceſſitatis eſt, crimen in ſe facere voluptatis. *S. Hieron. Epiſt. 146. ad Damaſ.*

XVI.

Sint ergò divinæ Scripturæ ſemper in manibus tuis, & jugiter in mente volvantur. *Idem Epiſt. 14. ad Celantiam.*

XVII.

Si Sacerdos eſt, ſciat legem Domini; ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe Domini Sacerdotem. Sacerdotis enim eſt ſcire legem, & ad interrogationem reſpondere de lege. *S. Hier. in cap. 2. Aggai.*

XVIII.

Sciant igitur Sacerdotes Scripturas Sacras & Canones; ut omne opus eorum in prædicatione & doctrina conſiſtat; atque ædificent cunctos, tam fidei ſcientiâ, quàm operum diſciplinâ. *Concil. Tolet. 4. cap. 25.*

XIX.

Tam doctrinâ, quàm vitâ clarere debet Eccleſiaſticus Doctor; nam doctrina ſine vita arrogantem reddit;

Digitized by Google

reddit; vita ſine doctrina, inutilem facit. *S. Iſidor. Hiſpalen. lib. 3. ſentent. cap. 36.*

XX.

Qui bene docet & male vivit, videtur, ut cereus, aliis dum bona exponit, lucem præſtare, ſe verò in malis ſuis conſumere, atque extinguere. *Idem lib. 3. ſentent. cap. 37.*

XXI.

Non confundant opera tua ſermonem tuum, ne cum in Eccleſia loqueris, tacitus quilibet reſpondeat: cur hæc quæ dicis, ipſe non facis? Delicatus Magiſter eſt, qui pleno ventre de jejunijs diſputat. Accuſare avaritiam & latro poteſt. Sacerdotis Chriſti os, mens, manuſque concordent. *S. Hieronym. Epiſt. ad Nepotian.*

XXII.

Sit ejus doctrina duplex, ut verbis facta conveniant, actus doctrinæ reſpondeant. *S. Chriſoſt. homil. de eo, qui incid. in latr.*

XXIII.

Spretâ in veſtibus formâ eccleſiaſticæ honeſtatis,

tis, plurimi delectantur eſſe deformes, & cupiunt laïcis conformari; quodque mente gerunt, habitu profitentur. *Conſil. Conſtant. ſeſſ.* 43.

XXIV.

Qui immoderato cultu corporis, atque veſtitu, vel ceterarum rerum nitore præfulget, facilè convincitur, rebus ipſis, pomparum ſæculi eſſe ſectator. *S. Auguſt. lib.* 2. *de ſerm. Dom. in monte c.* 12.

XXV.

Talia debent eſſe veſtimenta ſervorum DEI, in quibus nihil poſſit notari novitatis, nihil ſuperfluitatis, nihil vanitatis, nihil quod pertineat ad ſuperbiam & vanam gloriam. Unde Beatus Hieronymus: non facit ornatum Clericum tenera veſtis, ſed munditia mentis. *Sanct. Bernard. de modo benè vivendi. ſerm.* 6.

XXVI.

Quid ſibi vult, quòd Clerici aliud eſſe, aliud videri volunt? Nempe habitu milites, quæſtu clericos, actu neutrum exhibent. Nam neque pugnant ut milites, neque ut Clerici evangelizant.



Digitized by Google

Cujus ordinis ſunt? Cum utriuſque eſſe cupiunt, utrumque deſerunt, utrumque confundunt &c. Vereor iſtos non alibi ordinandos, quàm ubi nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat. *S. Bernard. lib. 3. de Conſid. cap. 5.*

XXVII.

Numquid Clerici ſæculares, qui non portant coronam, vel tonſuram, vel habitum congruentem &c. ſunt in numero ſalvandorum?

Ad hoc licet aliqui ſcandalizentur, volentes applaudere ſibi in peccatis, & dicentes omnia jura, quæ ſuper hoc emanaverunt, & de conſilio intelligenda. DICO QUOD NON; cum enim pro tali apoſtaſia pœna gravis & multiplex imponatur, patet quòd non eſt conſilium, ſed præceptum. *Sanct. Raymund. in Summa.*

XXVIII.

Non aliud, Sacerdotes, quàm amictum quærimus clariorem, verbi gratiâ, Caſtorinas & Sericas veſtes. Et ille ſe inter alios credit eſſe altiorem, qui veſtem induerit clariorem. *S. Ambroſius de dignitate Sacerdot. cap. 4.*

XXIX.

Digitized by Google

XXIX.

Omnis his cura de veſtibus, ſi bene oleant, ſi pes laxâ pelle non folleat; & ne plantas humidior via ſpargat, vix imprimunt ſumma vaſtigia. Tales cum videris, ſponſos magis exiſtimato, quam Clericos. *S. Hieron. Epiſt.* 22. *ad Euſtoch.*

XXX.

Nullus Clericus ſagum, ac veſtimenta, vel calceamenta ſæcularia, niſi quæ Religionem deceant, induere præſumat. Quòd ſi poſt hanc definitionem clericus: aut cum indecenti veſte, aut cum armis inventus fuerit; à Seniore ita coerceatur, ut triginta dierum incluſione detentus, aquâ tantùm, & modico pane diebus ſingulis ſuſtentetur. *Concil. Matiſconen. Can.* 5. *an.* 581.

XXXI.

Cernitur in nonnullis Sacerdotibus veſtium cultus plurimus, virtutum aut nullus, aut exiguus. Non Chriſti ſtigmata ſunt hæc, muliebria potius eſſe noſcuntur inſignia, quæ utique curioſiùs & ſumptuoſiùs illi ſibi præparare conſueverunt, cogitantes

Digitized by Google

tantes nimirum quæ ſunt mundi, quomodo placeant viris. *S. Bernard. Epiſt. ad Henric. Senon.*

XXXII.

Non tantò curaretur Corporis cultus, niſi priùs neglecta fuiſſet mens inculta virtutibus. *Idem Apolog. ad Guillem. cap. 9.*

XXXIII.

Clericus, qui amictu clericali indutus incedit, ne in propinquorum, ne in parentum quidem obitu veſtes lugubres more Laicorum induat, geſtétque: neque verò veſtis formam, aut panni genus, quo Clerum univerſum uti moris eſt, commutet; ſed pium ergà propinquos mortuos charitatis ſtudium officiúmque præ ſe ferat omni aliâ ratione, quæ cum clericalis Ordinis decoro dignitatéque omninò conveniat. *Concil. Mediol. 5. ſub S. Carolo.*

XXXIV.

In omni inprimis ſancta oratione vos aſſiduè exercete; tum in meditationis, tacitæque piæ orationis ſtudio, ſingulis diebus certo temporis ſpatio toto caſtiſſimi animi ſenſu incumbite. *Concil. Mediolan. 4. in Monit.*

O XXXV.

Digitized by Google

XXXV.

Verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare. *S. Auguſtin, Homil. 4. ex 50.*

XXXVI.

Hæc duo ſunt Pontificis opera, ut aut à DEO diſcat legendo Scripturas divinas, & SÆPIUS MEDITANDO; aut populum doceat; ſed illa doceat, quæ ipſe à DEO didicerit, non ex proprio corde, vel humano ſenſu, ſed quæ Spiritus Sanctus docet. *Origenes. Hom. 6. in Leviti*c.

XXXVII.

Aſſiduè, & devotè orare, ſicut & lectioni perfectè intendere ſunt opera Clericorum. *Synod. Lingon. an.* 1404.

XXXVIII.

ARMA CLERICORUM SUNT ORATIONES, ET LACHRYMÆ. *Synod. Senon. an.* 1524.

XXXIX.

ORET ERGO SACERDOS ECCLESIÆ INDESINENTER, UT VINCAT POPULUS, QUI SUB IPSO EST. *Origen. Hom. 6. in Levit.*

XL.

XL.

TIMEAT ORATIONEM, QUI ADMONITIONEM CONTEMPSIT. *S. Bernard. l. 4. de conſiderat. cap. 7.*

XLI.

Attentè, ſtudioſè, ritè, piè, religioſè, divinas laudes concelebrate, non mente vagâ, non vagis oculis, non indecenti corporis ſtatu. *Concil. Mediol. 4. in Monit.*

XLII.

Si orat Pſalmus, orate: & ſi gemit, gemite; & ſi gratulatur, gaudete; & ſi ſperat, ſperate; & ſi timet, timete. Omnia enim, quæ hic conſcripta ſunt, ſpeculum noſtrum ſunt. *S. Auguſtin. in Pſal. 30.*

XLIII.

Duo ſunt genera Chriſtianorum. Eſt autem unum genus, quod mancipatum divino Officio, & deditum contemplationi, & orationi, ab omni ſtrepitu temporalium ceſſare convenit, ut ſunt Clerici - - - - -. Aliud verò genus eſt, ut ſunt Laici: his licet temporalia poſſidere. *S. Hieron. ad quemdam Levitam refertur 12. q. 1. cap. duo ſunt.*



Digitized by Google

XLIV.

Non dubites, Eccleſiarum Principes vitæ contemplativæ poſſe, & debere fieri Sectatores. *Sanctus Proſper de vita contempl. lib.* 1. *cap.* 13.

XLV.

Nec ſic quiſque debet eſſe otioſus, ut in eodem otio utilitatem non cogitet proximi: nec ſic actuoſus, ut contemplationem non requirat Dei - - - -. Otium ſanctum quærit charitas veritatis, negotium juſtum ſuſcipit neceſſitas charitatis. *S. Auguſt. de Civit. Dei lib.* 19. *cap.* 19.

XLVI.

Habet activa profectum, contemplativa faſtigium: hæc facit hominem ſanctum, illa perfectum. *S. Proſper de vita contemplat. lib.* 1. *cap.* 12.

XLVII.

Nunc autem, quoniam dies mali ſunt, ſufficit interim admonitum eſſe non totum te, nec ſemper dare actioni: ſed conſiderationi aliquid tui, & cordis, & temporis ſequeſtrare. Hoc autem dico NECESSITATEM INTUENS NON ÆQUITATEM. *S. Bernard. l.* 1. *de Conſid. c.* 6.

XLVIII.

Digitized by Google

XLVIII.

Ipſum fontem ſuum, id eſt mentem, de qua eritur, purificat conſideratio. Deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus, componit mores, vitam honeſtat, & ordinat. *S. Bern. ibid.*

XLIX.

Quàm multi ſonant voce, & corde muti ſunt! ut quàm multi tacent labjis, & clamant affectu; quia ad cor hominis aures Dei! Sicut aures corporales ad os hominis, ſic cor hominis ad aures Dei. Multi clauſo ore exaudiuntur, & multi in magnis clamoribus non exaudiuntur. Affectibus orare debemus. *S. Auguſtin. in Pſal.* 119.

L.

QUID PRODEST STREPITUS ORIS MUTO CORDE? *S. Auguſt. tract* 9. *in Joannem.*

LI.

Sit uſque ad Miſſarum peragenda myſteria ſaliva linguæ noſtræ virgo, vel caſta; ut vel ſe ſub virginali taciturnitatis cenſura coerceat, vel ſub pudicæ quodammodo locutionis moderamine ſobria verba depromat. *Petr. Dam. Opuſc.* 6. *contra inſt. Cler. c.* 1.

LII.

L II.

Non poteſt Sacerdos illâ intentione celebrare, ut ex hòc pecuniam conſequatur, quia peccaret mortaliter. *S. Thom. Opuſc. de offic. Sacerd. part. 1. artic. unic.*

L III.

Cùm paſſus ſit Dominus in cruce pro ſalute Mundi; nunc mactatur in Altari pro unius commodo. Tunc crucifixus eſt pro totius populi multitudine; nunc quaſi pro unius homuncionis utilitate ſalutaris hoſtia videtur offerri. *Petr. Damian. opuſc. 6. contra inſcit. Cleric. c. 2.*

L IV.

Sacerdotem hoc ſentire oportet, quod & in Chriſto JEſu, non ſolùm ut ſe per humilitatem exinaniat, ſed ut crucifixionem Domini repræſentans, ſtigmata ejus portet in corpore ſuo, & in ara cordis ſeipſum Domino crucifigat. *Petr. Bleſen. Epiſt.* 123.

L V.

Nullus magno, & Deo, & Sacrificio, & Pontifice dignus eſt, niſi qui priùs ſemetipſum viventem

Digitized by Google

ventem hoſtiam & ſanctam exhibuerit. *Sanct. Gregor. Nazian. Orat. 1.*

## LVI.

A nullo planè Omnipotens majoris injuriæ præjudicium tolerat; imò deteriùs nemo peccat, quàm Sacerdos, qui prohibentibus Canonibus indignè ſacrificat. Aliter in quocunque modo peccantes quaſi Dominum in rebus ejus offendimus; indidignè verò ſacrificantes, velut in perſonam ejus manus injicere non timemus. *Petr. Damian. Opuſc. 6. contr. inſtit. Cleric. cap. 2.*

## LVII.

Prima tentamenta ſunt Clericorum fœminarum frequentes acceſſus; iſte ſexus reprehenſibiles exhibet Clericos. Quid tibi reverà cum fœminis, qui ad altare cum Domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro ruſtici, aratores, ac vinitores quotidiè graviter lacerabunt, ſi contra depoſitum fidei cum fœminis habitare contendis.... Prohibe Virgines tecum commorari, etiam quæ de genere tuo ſunt. *S. Hieronym. Epiſt. ad Ocean. apud Conc. Aquiſgran.*

LVIII.

Mulierum congreſſus, vir optime, quantùm fieri poteſt, fuge; nam eos, qui Sacerdotum munere funguntur, ſanctiores, ac puriores illis eſſe oportet, qui ad montes ſe contulerunt; ſiquidem illi & ſui, & plebis; hi autem ſui dumtaxat curam gerunt. Quòd ſi etiam, ut cum ipſis converſeris, neceſſitas aliqua te obſtringat, oculos humi dejectos habe. Cumque pauca, quæ ipſarum animos perſtringere, atque illuſtrare queant, locutus fueris, ſtatim avola. *S. Iſidor. Peluſ. lib. 2. Epiſt. 284. ad Palladium Epiſcopum.*

LIX.

Sermo brevis, & rigidus cum mulieribus eſt habendus; nec tamen quia ſanctiores ſunt, ideò minùs cavendæ: quò enim ſanctiores fuerint, eò magis alliciunt, & ſub pretextu blandi ſermonis immiſcet ſe viſcus impiiſſimæ libidinis. Crede mihi; Epiſcopus ſum, in Chriſto loquor, non mentior. Cedros Libani, id eſt contemplationis altiſſimæ homines, & gregum arietes, id eſt, magnos Prælatos Eccleſiæ ſub hac ſpecie corruiſſe

ruiſſe reperi ; de quorum caſu non magìs præſumebam quàm Hieronymi, & Ambroſij. *S. Thomas Opuſc. de modo conſit. & purit. conſc. art. 22, ex S. Auguſtino.*

LX.

Conſortium mulierum ſacerdoti non convenit, quem caſtitas, & continentia ornare perpetuò debent ; & ut caſtitas ſervari queat in muliebri conſortio, raró tamen bonum nomen retineri poteſt. *Conc. Cameracenſe c. 3. de vita & honeſt. Cleric.*

LXI.

Propter nos conſcientia noſtra ſufficit nobis: propter vos fama noſtra non pollui, ſed pollere debet in vobis. *S. Auguſt. ſerm. 49. de diverſis, qui eſt* I. *de communi vita Cleric.*

LXII.

Solus cum ſola ſecretò, & abſque arbitro, vel teſte non ſedeas. - - - -. Caveto omnes ſuſpiciones, & quidquid probabiliter fingi poteſt, ne fingatur, antè devita. *S. Hieron. Epiſt. ad Nepotian.*

LXIII.

Cum mulieribus non continuanda præſentia,



Digitized by Google

ſed tranſeunter exhibenda eſt acceſſio fœminis quodammodo fugitiva. *S. Cyprian. de ſingular. Cleric.*

LXIV.

Quantos leones domuit una muliebris infirmitas delicata, quæ cum ſit vilis & miſera, de magnis efficit prædam. *S. Cyprian. ibidem.*

LXV.

Licèt carnalis affectio ſit omnibus periculoſa & damnoſa, ſpiritualibus tamen viris pernicioſa eſt magis; maximè quando converſantur cum perſona, quæ ſpiritualis videtur: nam quàmvis eorum principium videatur eſſe purum, frequens tamen familiaritas domeſticum eſt periculum, delectabile detrimentum, & malum occultum; bono colore depictum. Quæ quidem familiaritas quantò plùs creſcit, tantò plûs infirmatur principale motivum, & utriuſque puritas maculatur. *S. Tho. Opuſc. de modo conf. & de pur. conſc. & S. Bonav. Opuſc. de eodem cap.* 14.

LXVI.

Cum Clerico fœmina nulla commaneat, non deſpecta, non vetula, ſine affinitate peculiariter ſuſci-

Digitized by Google

ſuſcipienda ad domeſticum obſequium, quia magis illic citò delinquitur, ubi ſine ſuſpicione ſecurum poteſt eſſe delictum. Maximè quia cupidini nulla deformitas, nulla deſpectio faſtidij vel vilis exiſtit; ſed Diabolus pingens ſpecioſum efficit, quidquid fœdum & horridum fuerit. *S. Cyprian. de ſingular. Cleric.*

LXVII.

Hoſpitiolum tuum, aut rarò, aut nunquam mulierum pedes terant. Omnes Virgines Chriſti aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne ſub eodem tecto manſites, nec in præterita caſtitate confidas. Nec ſanctior David, nec Samſone fortior, nec Salomone potes eſſe ſapientior. *S. Hieron. Epiſt. ad. Nepotian.*

LXVIII.

Quid tibi neceſſe eſt in ea verſari domo, in qua neceſſe habeas quotidiè aut perire, aut vincere? *Idem Epiſt. de vitando ſuſpecto contuber.*

LXIX.

Convenit Paſtoribus Eccleſiarum res Eccleſiæ poſſidere, non ab his poſſideri; & ut Proſper

ſcribit, eas poſſidendo debent contemnere, & non ſibi, ſed alijs poſſidere. *Conc. Pariſien. 6. lib. 1. cap. 18.*

## LXX.

Scientes nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. *S. Proſp. lib. 2. de vita activ. cap. 9.*

## LXXI.

Non requiritur à nobis divitiarum indigentia, ſed contemptus. *Divitiæ*, inquit David, *ſi affluant, nolite cor apponere:* non dixit, *ne affluant*, *ſed*, *ne cor apponatur.* Porrò cor prohibuit apponere, ſed non manum. Poſſumus itaque licitè divitias poſſidere, ſi tamen earum nos non reputaverimus dominos, ſed miniſtros: ſi intellexerimus, patrimonium pauperum eſſe patrimonium Chriſti: ſi proventibus Eccleſiæ, ſi pauperum neceſſitatibus erogentur. *Arnulphus Lexov. ſerm. in Conc. Turon. to. 3. Biblioth. SS. PP.*

## LXXII.

Res pauperum non pauperibus dare, par Sacrilegio crimen eſſe dignoſcitur. Sanè patrimonia pau-

pauperum, facultates Eccleſiarum; & ſacrilegâ eis crudelitate ſurripitur quicquid ſibi miniſtri & diſpenſatores, (non utique Domini) vel poſſeſſores, ultrà victum accipiunt, & veſtitum. *S. Bernard. in. Declam. cap.* 7.

LXXIII.

Quidquid præter neceſſarium victum, ac ſimplicem veſtitum, de Altari retines, tuum non eſt, rapina eſt, ſacrilegium eſt. *Idem Epiſt.* 2. *ad Fulconem.*

LXXIV.

O quanta abuſio eſt, Chriſti ditari divitijs, & Chriſto velle nihil tradere! Nonne theſauri Chriſti ſunt facultates Eccleſiæ? Unde temporalia Eccleſijs ſunt prærogata ſtipendia? Nònne propter Chriſtum? Nònne ut pauperibus erogentur? Noli igitur tu, qui præſides, retinere quod alienum eſt, ne furti reprehendaris in cauſa. *Laurent. Juſtinian. de compunctione & complanctu Chriſtianæ perfectionis.*

LXXV.

Ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed, ſi pauperes ſunt, ijs pauperibus diſtribuant: eas autem non diſtrahant, nec diſſipent

diſſipent illorum cauſâ ; imò quàm maximè poteſt, eos Sancta Synodus monet, ut omnem humanum hunc erga fratres, nepotes, propinquòsque carnis affectum, unde MULTORUM MALORUM IN ECCLESIA SEMINARIUM extat, penitùs deponant. *Conſil. Trid. Seſſ. 25. cap. 1. de Reform.*

LXXVI.

GRANDIS IN SUOS PIETAS, IMPIETAS IN DEUM EST. *S. Hieron. Epiſt. 25.*

LXXVII.

Multi pro parentibus ſuis animas perdiderunt, quorum occaſione mundus, qui in ijs aruerat, denuò revireſcit. Impius eſt, qui animæ ſuæ pro parentibus eſt crudelis; majorèmque temeritatem hâc nemo habet, quàm ut animam ſuam ponat quis ita periculoſè pro amicis ſuis. *Petr. Bleſen. Epiſt. 11.*

LXXVIII.

Non differat, quæſo, non evacuet propoſitum tuum proditoria & ſeductrix affectio parentelæ. Noli eos diligere contrà Chriſtum, quos teneris odio habere pro Chriſto. *Idem ibidem.*

*LXXIX.*

Digitized by Google

LXXIX.

Nemo in cæleſtibus eſt glorioſior, quàm qui repudiato patrum ſtemmate ſolâ elegit Chriſti paternitate cenſeri. *S. Hilar. Arelat. Serm. de SS. Hon.*

LXXX.

Neſciunt ſuis parcere, qui nihil ſuum norunt. Quoniam ſanctis omnia Deus eſt. *S. Ambroſ. in Exod. cap.* 23.

LXXXI.

Quomodo te, bone Jeſu, inter meos cognatos inveniam, qui inter tuos minimè es inventus? *S. Bernard. in Speculo diſcipl. par.* 1. *cap.* 3.

LXXXII.

Hæc eſt enim vera Sacerdotis fuga, abdicatio Domeſticorum, & quædam alienatio Cariſſimorum, ut ſuis ſe abneget, qui ſervire Deo elegerit. *S. Ambroſ de Fuga Sæculi.*

LXXXIII.

Nec in Domo Dei Sacerdos aut Levita eligitur, niſi dixerit Patri & Matri: NESCIO VOS. *Petrus Bleſen. Epiſt.* 102.

LXXXIV.

Non ſolùm moneo, ſed obteſtor, ut ſi patrem

Digitized by Google

trem veſtrum pro Chriſto offendiſtis, in ea offenſione duretis: qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit. *S. Hieron. Epiſt. ad Gerunt. Filias.*

LXXXV.

Quo affectu ac propoſito accedant Ordinandi, videndum, accuratéque inveſtigandum: num videlicet Dei causâ tantùm, an potiùs ſuæ commoditatis gratiâ, quærentes, quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti. Quid eſt enim ſua quærere, & non quæ Chriſti ſunt? Niſi cum tales non gratìs Deum diligunt, non Deum propter Deum quærunt temporalia ſequentes, lucris inhiantes, & honores expetentes. Quiſquis ergo talis eſt, non ovili Chriſti idoneus Paſtor futurus, ſed mercenarius eſt. *Conc. Colon. 1. part. 1. cap. 91.*

LXXXVI.

Obſecro te, ne Officium clericatus, genus antiquæ militiæ putes; id eſt, ne lucra Sæculi in Chriſti quæras militia: ne plùs habeas, quàm quando Clericus eſſe cœpiſti. Nonnulli enim ſunt, qui poſſident opes ſub Chriſto paupere, quas ſub locuplete & fallace diabolo non habuerant;

rant ; ut ſuſpiret eos Eccleſia divites , quos mundus tenuit ante mendicos. *S. Hieron. Epiſt. ad Nepot.*

LXXXVII.

Tanquam non virtutis exemplum , ſed victus parandi occaſionem & ſubſidium hunc ordinem eſſe judicantes. *S. Greg. Nazianz. in Apolog.*

LXXXVIII.

Ipſa Eccleſiaſticæ dignitatis Officia in turpem quæſtum , & tenebrarum negotium tranſiere ; nec in his ſalus animarum , ſed luxus quæritur divitiarum. Propter hoc tondentur , propter hoc frequentant Eccleſias , Miſſas celebrant , Pſalmos decantant. *S. Bernard. Serm. 6. in Pſalm.* Qui habitat.

LXXXIX.

Mundi ergò lucrum quæritur ſub ejus honoris ſpecie , quo Mundi deſtrui lucra debuerant. *S. Gregor. Paſtoral. part. 1. cap. 8.*

X C.

Hodiè in promotione quorumdam prima quæſtio eſt , quæ ſit ſumma redituum , non quæ ſit converſatio ſubjectorum. Verumtamen Deus non irridetur. Ad honorem vocavit te propter onera.



Digitized by Google

Non ad multiplicandum numerum familiæ aut equorum , non ad dandas parentibus dignitates; ſed ad dandam ſcientiam ſalutis plebi ejus. *Petr. Bleſen. Epiſt.* 15.

XCI.

Siquis gradus Eccleſiaſticos & miniſteria Sanctuarij eo quærit, aut tenet animo, eoque intuitu, ut hujus vitæ habeat neceſſaria; Evangelizat, ut manducet; & perverſo nimis ordine, cœleſtibus terrena mercatur. *S. Bernard. in Declam cap.* 5.

XCII.

Curritur paſſim ad ſacros Ordines, & reverenda ipſis quoque ſpiritibus angelicis miniſteria homines apprehendunt ſine reverentia, ſine conſideratione. *S. Bernard. de converſ. ad Cler. cap.* 21.

XCIII.

Eccleſiaſticos gradus propenſiùs, quàm regna Cœlorum, ambientes, & tyrannico ritu acceptos defendentes, nec tamen legitimis moribus illuſtrantes. *Gyldas Sapiens to. S. Biblioth. SS. P. P.*

XCIV.

Si altiorem quàm meliorem eſſe delectat; non

non præmium, ſed præcipitium expectamus. *S. Bernard. Epiſt. 1. ad Ardut.*

XCV.

Obſtupeſco ad ea, quæ ſoliti ſunt quidam inſipientium audere, qui impudenter ac temerè ſeſe conantur ingerere ad munus Sacerdotij aſſumendum, licet non adſciti à gratia Chriſti: ignorantes miſeri, quòd ignem & mortem ſibi accumulent. *S. Ephrem de Sacerd.*

XCVI.

Multo dignius, multoque rectius erat, ut ad carcerem, vel cataſtam pœnalem, quàm ad Sacerdotium traheremini. *Gyldas Sapiens tom. S. Biblioth. SS. PP.*

XCVII.

Herì Sacrilegi, hodiè Sacerdotes; herì prophani, hodiè ſacrorum antiſtites; veteres vitio, pietate rudes & recentes, diſcipuli ſimul magiſtrique pietatis creantur. *S. Gregor, Nazianz. Orat. 21.*

XCVIII.

Uno die ſanctos fingimus, eoſque ſapientes & eruditos eſſe jubemus, qui nihil didicerunt,



Digitized by Google

nec ad Sacerdotium quicquam priùs contulerunt præter velle. *Item Orat.* 20.

XCIX.

Tales ad miniſterium eligantur clerici, qui dignè poſſint dominica Sacramenta tractare. Melius eſt enim Domini Sacerdoti paucos habere miniſtros, qui poſſint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant. *S. Clemens Papa Epiſt.* 2. *refertur diſt.* 23. *cap. talem.*

C.

Divinos Ordines largiri oportet diſtricti ſemper eſſe judicij: rarum enim eſt omne quod magnum eſt: *Zoſimus Papa Ep.* 1. *diſt* 59. *C. ſi Officij.*

C I.

Si quis indignè Sacerdotij dignitatem ſibi uſurpare ſit auſus, tenebras ſibi exteriores, judiciumque abſque miſericordia ſibi conſciſcit. *S. Ephrem de Sacerdot.*

C II.

Uſurpati auſus Sacerdotij, Sacrificium in Sacrilegium, & vitam convertit in mortem. *Petr. Bleſen. Epiſt.* 116.

C III.

CIII.

Sicut Caput Eccleſiæ Chriſtus, Chriſti autem Vicarij Sacerdotes; ſic in eligendis his curam oportet eſſe præcipuam. Irreprehenſibiles enim eſſe convenit quos præeſſe neceſſe eſt corrigendis: nec quidquam illi deeſſe perſonæ, penès quam eſt religionis ſumma, ſubſtantia diſciplinæ. *Horſmidas Papa Epiſt.* 25.

CIV.

Prudenter & divinitùs factum eſt, ut per tot gradus ad Sacerdotium aſcenderent Eccleſiæ Miniſtri, in quibus ſi punctuatìm ſervatis temporum interſtitijs conſiſterent promoti, exercitijs Ordinum proximè ſuſceptorum ſedulò vacantes, angelicæ profectò vitæ viros Eccleſiaſticos haberemus. *Concil. Burdigal. An.* 1624.

CV.

Nullus Laicus ad quemlibet gradum Eccleſiaſticum repente promoveatur, niſi, poſt mutatum habitum ſæcularem, diuturnâ converſatione inter Clericos fuerit comprobatus. *Concil. Roman. An.* 1059.

CVI.

CVI.

Tempora à majoribus conſtituta ſerventur, nec citò quilibet Lector, citò Acolythus, citò Diaconus, citò Sacerdos fiat; quia in minoribus Officijs ſi diù perdurent, & vita eorum pariter, & obſequia comprobantur, ut ad Sacerdotium poſteà emenſis ſtipendiorum meritis veniant, nec præripiant quod vita probata meretur accipere. *Innoc.* 1. *Epiſt.* 4. *ad Zel. cap.* 5.

CVII.

O quam præſumptuoſa temeritas! Ille præponitur ovili divino, qui neſcit adhuc dominari ſpiritui ſuo. *Nicol. Papa. Epiſt.* 2.

CVIII.

Nemini citò manus impoſueris, inquit Apoſtolus. Quid eſt: *Citò manus imponere?* Niſi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam diſciplinæ, Sacerdotalem honorem non probatis tribuere. *S. Leo Epiſt* 87.

CIX.

Ignorat momentaneus Sacerdos humilitatem &

Digitized by Google

& manſuetudinem ruſticorum --- Neſcit ſeipſum contemnere: non jejunavit, non flevit, non mores ſuos ſæpe reprehendit, & aſſiduâ meditatione correxit; non ſubſtantiam pauperibus erogavit ---- Necdum diſcipuli, jam magiſtri ſunt. *S. Hieron. Epiſt. ad Ocean.*

## CX.

Curritur in clero paſsim, ab omni ætate & ordine, à doctis pariter & indoctis, ad eccleſiaſticas curas; tanquàm ſine curis jam quiſque victurus ſit, cum ad curas pervenerit. *S. Bernard. Epiſt. ad Henr. Senonen.*

## CXI.

Quid miſeris illis dixeris, qui ſe conjiciunt in tantam abyſſum ſuppliciorum? Omnium, quos regis, mulierum & virorum & puerorum à te reddenda eſt ratio. Tanto igni caput tuum ſubjicis. Miror, an fieri poſſit, ut aliquis ex rectoribus ſit ſalvus. *S. Chryſoſtom. homil. 34. in Epiſt. ad Habr.*

## CXII.

Et quid ei proderit, non puniri ſuo, qui

CXIII.

punienduſ eſt alieno peccato. *S. Proſper de vita contempl. cap.* 20.

CXIII.

Divinis diſpoſitionibus ſubditus, atque à vitio obſtinationis alienus, cum ſibi regiminis culmen imperatur, ſi jam donis præventus eſt, quibus & alijs proſit, & ex corde debet fugere, & invitus obedire. *S. Gregor. paſtoral. part.* 1. *c.* 5.

CXIV.

Tantum ab ambitu debet eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim INDIGNUS EST SACERDOTIO, NISI FUERIT ORDINATUS INVITUS. *L.* 30. *Cod. de Epiſc. & Cleric.*

CXV.

Virtutibus pollens, coactus ad regimen veniet: virtutibus vacuus, nec coactus accedat. *S. Gregor. paſtoral. part.* 1. *cap.* 9.

CXVI.

Si aliquis pro ſe rogat, ut obtineat curam animarum

animarum, ex ipſa præſumptione, redditur indignus. *S. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 5. ad 3.*

CXVII.

Unde tantus prælationis ardor? Unde ambitionis impudentia tanta? Unde veſania tanta præſumptionis humanæ? Væ miniſtris infidelibus, qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quaſi homines, qui juſtitiam fecerint, apprehendunt! *S. Bernard. de Converſ. ad Cleric. cap.* 19.

CXVIII.

Horreo, fateor, conſiderans unde, & quo vocaris, præſertim cum nullum intercurrerit pœnitentiæ tempus, per quod utcumque hujuſcemodi periculoſiſſimus tranſitus fiat. Et quidem rectus ordo requirit, ut priùs propriam, deinde alienas curare ſtudeas conſcientias. *S. Bernard. Epiſt. 1. ad Brunon.*

CXIX.

Quâ præſumptione percuſſum mederi prope-

rat, qui in facie vulnus portat? *S. Gregor. Paſtor. part.* 1. *cap.* 9.

CXX.

Vae, qui ambulantes in carne, placere Deo non poſſunt, & placere velle præſumunt! *S. Bernard. de converſ. ad Cleric cap.* 19.

CXXI.

Si Clericatûs te titillat deſiderium, diſcas quod poſſis docere, & rationabilem hoſtiam offeras Chriſto. Ne miles antequàm tiro; ne prius magiſter ſis, quàm diſcipulus. *S. Hieron. Epiſt.* 4. *ad Ruſtic.*

CXXII.

Sacerdotum tam excellens eſt electio, ut quæ in alijs Eccleſiæ membris non vocantur ad culpam, in illis tamen habeantur illicita. *S. Leo Epiſt.* 84. *ad Anaſtaſ.*

CXXIII.

Plerùmque quod in Laicis culpa non eſt, hoc crimen eſt in ſacro Ordine conſtitutis. *Epiſt.* 5. *lib.* 18.

CXXIV.

CXXIV.

Inter ſæculares nugæ nugæ ſunt ; in ore Sacerdotis blaſphemiæ. Interdum tamen ſi incidunt , ferendæ fortaſſis , referendæ nunquam. Conſecraſti os tuum evangelio ; talibus jam aperire illicitum , aſſueſcere ſacrilegium eſt. Fœdè ad cachinnos moveris , fœdiùs moves. *S. Bernard. lib.* 2. *de Conſider. cap.* 13.

CXXV.

Erubeſce Cydon , ait Mare. *Iſai.* 23.

CXXVI.

Erubeſcant Sacerdotes , ſi ſacratioris vitæ inveniantur Laici , qui hujus mundi fluctibus ſunt immerſi. *Petrus Bleſen. Serm.* 12.

CXXVII.

Quomodò autem non ſit confuſio , eſſe illos inferiores Laicis , quos etiam æquales eſſe confuſio eſt ? *S. Chryſoſt. Hom.* 40. *Oper. imperf. in Matth.*

CXXVIII.

Cum viliſſimis ſit computandus , niſi ſancti-

tate præcellat, qui eſt honore præſtantior. *Synod. Andegaven. an.* 1293.

CXXIX

Non ſolùm Epiſcopi, Presbiteri, & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui præſident, converſatione, ſermone, ac ſcientiâ præcedant; verùm etiam & inferioris gradus, Exorciſtæ, Lectores, Editui, & omnes omninò, qui domui Dei deſerviunt: quia vehementer Eccleſiam DEI deſtruit, meliores Laicos eſſe, quàm Clericos. *S. Hieron. in cap.* 2. *Epiſt. ad Tit.*

CXXX.

Tantum inter Sacerdotem & quemlibet probum intereſſe debet, quantum inter cœlum & terram diſcriminis eſt. *S. Iſidor Peluſ. lib.* 2. *Epiſt.* 205.

CXXXI.

Quod ſumus profeſſione, actione potiùs, quàm nomine demonſtremus. Ne ſit nomen inane, crimen immane; ne ſit honor ſublimis, &

& vita deformis ; ne ſit deifica profeſſio, & illicita actio. *S. Ambroſ. de dignit. Sacerd. cap. 2.*

CXXXII.

Monſtroſa res, gradus ſummus, & animus infimus ; ſedes prima, & vita ima ; lingua magniloqua, & manus otioſa ; ſermo multus, & fructus nullus ; vultus gravis, & actus levis ; ingens auctoritas, & nutans ſtabilitas. *S. Bernard. lib. 2. de Conſid. cap. 7.*

CXXXIII.

Tantò antiſtare ceteris (Clericos) oportet devotione, quantò antiſtant omnibus dignitate ; Et tantum excellere merito, quantum gradu. *Salvian. lib. 2. ad Eccleſ. Cathol.*

CXXXIV.

Quomodo enim poteſt obſervari à populo, qui nihil habet ſecretum à populo, diſpar à multitudine ? Quid enim in te miretur, ſi ſua in te recognoſcat ? Si nihil in te aſpiciat, quod ultrà ſe inveniat ? Si quæ in ſe erubeſcit, in te quem reverendum

Digitized by Google

reverendum arbitratur, offendat. *S. Ambroſius. lib. 3. Epiſt. 20.*

CXXXV.

Langueſcit Sæcularium pietas, ubi vita Clericorum non ſplendeſcit. *Syn. Venet. an.* 1592.

CXXXVI.

In te omnium oculi diriguntur: domus tua, & converſatio tua, quaſi in ſpecula conſtituta, magiſtra eſt publicæ diſciplinæ. Quidquid feceris, id ſibi omnes faciendum putant. Cave ne committas, quod, aut qui reprehendere volunt, dignè laceraſſe videantur, aut qui imitari, cogantur delinquere. *S. Hieron. Epiſt* 3. *ad Heliodor.*

CXXXVII.

Bene vivendo, & bene docendo, populum inſtruis, quomodò debeat vivere. Bene autem docendo & male vivendo, Deum inſtruis quomodo te debeat condemnare. *Auctor Operis imperf. in Matth. homil.* 43.

CXXXVIII.

## CXXXVIII.

Nihil eſt , quod alios magis ad pietatem & Dei cultum aſſiduè inſtruat , quàm eorum vita & exemplum , qui ſe divino miniſterio dedicarunt. Cum enim à rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos, tanquam in ſpeculum, reliqui oculos conijciunt, ex ijsque ſumunt quod imitentur. *Conc. Trident. Seſſ.* **22.** *cap.* **1.** *de reform.*

## CXXXIX.

VITA CLERICORUM LIBER EST LAICORUM. *Concil. Turon. an.* **1537.**

## CXL.

Sic decet omninò Clericos, in ſortem Domini vocatos, vitam moresque ſuos omnes componere, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, alijsque omnibus rebus , nihil niſi grave , moderatum , ac religione plenum præ ſe ferant. Levia etiam delicta , quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant ; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem. *Concil. Trident. Seſſ.* **22.** *cap.* **1.** *de reform.*

CXLI.

C X L I.

Rideri, & ridere, Sæcularibus derelinque: gravitas tuam perſonam decet. *S. Hieron. Epiſt.* 8.

C X L I I.

Sit Rector operatione præcipuus, & vitæ viam ſubditis vivendo denuntiet. Qui enim, loci ſui neceſſitate, exigitur ſumma dicere, hâc eâdem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare. *S. Gregor. in paſtor. part.* 2. *cap.* 3.

C X L I I I.

In omni inceſſu, ſtatu, geſtu, vultu Ordinem ſuum Sacerdos & Clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione religioſi animi mores exprimens, qui in Eccleſiaſtici Ordinis hominibus elucere debent. *Conc. Mediol.* 4.

C X L I V.

Etſi habitus non facit monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes Ordini ſemper deferre; ut per decentiam habitùs extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. *Conc, Trident. Seſſ.* 12. *cap.* 6. *de reform.*

C X L V.

Digitized by Google

## C X L V.

DIVES EST MOLESTIA, QUIA PORTIO DEI EST, *S. Ambroſ. lib. 1. de Offic. cap. 18.*

## C X L V I.

Gravis & perverſus nimis abuſus eſt, clericalem habitum non deferre; in quo DEUS irrideri dicitur, obſcuratur decus Eccleſiæ, Clericalis Ordinis celſitudo deprimitur, Chriſtus à ſuis militibus, ferentibus inſigna aliena, deſeritur; decus honeſtatis Eccleſiæ maculatur, dum Clericum à Laico reſpiciens oculus non diſcernit, fitque omnibus verè fidelibus in ſcandalum, & in deſpectum. *Concil. Londin. An. 1248.*

## C X L V I I.

Non temerè dico, ſed ut affectus ſum, & ſentio. Non arbitror inter Sacerdotes, multos eſſe, qui ſalvi fiant, ſed multò plures, qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum; multas enim habet cauſas, quæ depellant ipſum à ſuis moribus, & innumeris



Digitized by Google

oculis illi opus eſt undique. *S. Chryſoſtom. hom. 3. in Act. Apoſt.*

CXLVIII.

Unuſquisque Chriſtianorum pro ſuo peccato reddet rationem : Sacerdotes autem non ſolùm pro ſuis , ſed pro omnium peccatis. *Idem hom. 38. in Matth.*

CXLIX.

Si reddenda eſt ratio de his , quæ quiſque geſſit in corpore ſuo , heu ! quid fiet de his , quæ quiſque geſſit in corpore Chriſti , quod eſt Eccleſia ? *S. Bernard. Serm. ad Cler. in Conc. Rhem.*

C L.

Si pecces privatìm , nihil tale paſſurus es ; ſi in Sacerdotio , perijſti. *S. Chryſoſtom. hom. 3. in Act. Apoſt.*

C L I.

Alij enim ſi ſæpe delinquant , poſſunt tamen ad veniam pervenire. Si verò hoc Magiſter ipſe patiatur , omni ſatisfactione privabitur , & ſup-

plicia

Digitized by Google

plicia extrema perſolvet. *Idem in cap. 5. Matth.*

## C L I I.

Homo Chriſtianus fortiter cadit in peccatum, aut proter magnitudinem peccati, ut, puta, ſi laicus homicidium fecerit; aut proter altitudinem dignitatis, ut, puta, ſi Clericus. Clerici etſi pondus peccati non habent, ideſt etſi grande peccatum non fecerint, ſed leve, tamen fortiter peccant propter altitudinem dignitatis. *Auctor Operis imperf. in Matth.* 40,

## C L I I I.

Quis aliquando vidit Clericum citò pœnitentiam agentem? Sed etſi deprehenſus humiliaverit ſe, non ideò dolet, quia peccavit, ſed confunditur, quia perdidit gloriam ſuam. *Auctor Operis imperfect. in Matth. homil.* 40.

## C L I V.

Laici delinquentes facilè emendantur; Clerici autem ſi mali fuerint, inemendabiles ſunt. *Idem homil.* 43.



Digitized by Google

CLV.

Erubeſcit enim aliquando reus videri, qui ſemper fuerat judex. *Idem ibid.*

CLVI.

In Clero, tanquam in cœlo, gerens iniqua, quid niſi de miniſterio judicetur? Cæleſte tenet Officium; Angelus Domini exercituum factus eſt: tanquam Angelus aut eligitur, aut reprobatur. Inventa quippe in Angelis pravitas, & diſtrictiùs judicetur neceſſe eſt, & inexorabiliùs, quàm humana. *S. Bernard. in Declamat.*

CLVII.

Cui multum datum eſt, multum quæretur ab eo; & cui commendaverunt multum, plus petent ab eo. *Lucæ 12.*

CLVIII.

Nullum puto ab alijs majus præjudicium, quàm à Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit. Quando ipſi peccamus,

Digitized by Google

mus, qui compeſcere peccata debuimus: nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidiè ſtudia vacamus: DEI cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus: locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur. *S. Gregor. homil. de Offic. ſeu cura paſtoral.*

CLIX.

Impietatis crimen eſt, neglectis DEI ſtudijs, ſollicitudines ſuſcipere ſæculares. *S. Clemens Epiſt.*

CLX.

Hæc res Sacerdotem vilem reddit, & reverentiam Sacerdotalem anihilat. *Diſtinct. 88. cap. 4.*

CLXI.

Ne Clerici ſacris initiati, aut beneficiati, ſe ſuamque operam Laicis (quantunvis nobilibus) addicant, ad rerum domeſticarum diſpenſationem, negotiorum civilium procurationem, cellæ vinariæ, vel annonæ regimen, aut aliquid aliud vile, indecorumque ſuo Ordini miniſterium. *Concil. Remenſ. Anni. 1583.*

CLXII.

Digitized by Google

CLXII.

Debet eſſe mundo corde Sacerdos, ut non ſolùm non ſe immiſceat circà negotia ſæcularia, ſed nec cogitet de mundo. *Auctor Operis imperf. in Matth. hom.* 10.

CLXIII.

A ſtrepitu negotiorum ſæcularium remotiſſimus, ſtudijs ſpiritualibus, quibus in dies ſingulos melior ac melior fiat, invigilet. Amet otium ſanctum, in quo exerceat animæ ſuæ negotium. Mortuum ſibi deputet mundum, ac ſe mundi blandientis illecebris exhibeat crucifixum. *S. Proſper lib.* 1. *de vita contempl. cap.* 8.

CLXIV.

Qui converſationibus gaudet mundanis, ſæculum nondum ſe odiſſe oſtendit. *S. Ephrem. paren.* 46.

CLXV.

Clericum ſolitudo facit, non publicum. *S. Hieron. Epiſt. ad Ocean.*

CLXVI.

Digitized by Google

CLXVI.

Miraculum eſt, ſi Sabbathum quietis veſtræ non turbat tumultuatio popularis. Habitatis in medio populi, polluta labia habentis, qui vobis verbum illud deriſoriè frequenter adaptant: COMMIXTI SUNT INTER GENTES, ET DIDICERUNT OPERA EORUM. *Petr. Bleſen. Epiſt.* 134.

CLXVII.

Sicut omnis Sacerdos, & Clericus ab omnibus ſegregatur, aſſumitur in his quæ ſunt ad DEUM; ita debet eximi & ſeparari ab hominibus, ſæculo & mundo ſervientibus, ſive in ſermone, ſive in exteriore quocunque habitu & geſtu; ut internoſcatur ſervire DEO, & non mundo. *Syn. Ebroic. an.* 1576.

CLXVIII.

De mundo non eſtis, ſed ego elegi vos de mundo. *Joann.* 15.

CLXIX.

Convivia, & nimiam Laicorum familiaritatem, multarum offenſionum, & ſcandalorum originem,

originem, debent Clerici, in quocunque gradu conſtituti, declinare ac fugere; honeſtatem verò, quæ inter Clericos tutiùs ſervatur, amare. *Conc. Aquilejen.* I. *de vita & honeſt. Cleric.*

CLXX.

Facilè contemnitur Clericus, qui ſæpe vocatus ad prandium, ire non recuſat. Nunquam petentes, rarò accipiamus rogati. *S. Hieron. Epiſt.* 2. *ad Nepotian.*

CLXXI.

Eſau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitùs non invenimus in Scripturis Sanctis Sanctum aliquem venatorem. *S. Hieron. in Pſal.* 90.

CLXXII.

Quàm ſit modeſtiâ clericali indignum, qui paullò ante Breviarium manibus tractabat, eum publicè Accipitrem deferre: quique cum Angelis laudes DEO perſolvebat, eum inter canum latratus ac multitudinem verſari, & incompoſitis obſtrepere vocibus, omnes ſatis intelligunt. *Conc. Aquilejen,*

Digitized by Google

*Aquilijen. 1. de vita honeſt. Cleric.*

CLXXIII.

Satis videtur abſurdum, ut Clerici quis prætendat in Ordine ſpeciem, & ſæcularium teneat vivendo converſationem; & quem à Laicorum turmis profeſſionis conditio ſeparat, turpe eſt, ſi vel domeſtica converſatio, vel peculij abominanda proprietas, Laicum eſſe convincat. Quid enim illius poterit concupiſcentiam ſatiare, cui non poteſt ipſe DEUS in poſſeſſione ſufficere? *Petr. Damian. Opuſ. 4. de Comm. vita Canon.*

CLXXIV.

Litigioſus prohibetur ordinari, quia qui ſuâ poteſtate diſcordantes ad concordiam debet attrahere, qui oblationes diſſidentium prohibetur recipere, nequaquam litigandi facilitate debet alios ad diſſidium provocare. *Diſtinct. 40.*

CLXXV.

Abſurdum enim Clericis eſt, imò opprobrioſum, ſi peritos ſe velint oſtendere diſceptationum

tionum eſſe forenſium. *Leg.* 36. *Cod. de Epiſc. & Cleric.*

## CLXXVI.

Illud unuſquiſque Clericus ſæpe repetat, ſe non ad inertiam atque ignaviam, ſed ad ſpiritualis & Eccleſiaſticæ militiæ labores vocatum eſſe. *Concil. Mediol.* 4. *de vita & honeſt. Cleric.*

## CLXXVII.

In Eccleſiæ Ordine conſtituti, in hoc poſiti ſunt, ut DEUM repræſentent non ſolùm ſecundum quod in ſe eſt, ſed etiam ſecundum quod alijs influit. *S. Thom. in Supplem. qu.* 34. *Art.* 1.

## CLXXVIII.

Inutilem ſervum eijcite in tenebras exteriores. *Matth.* 25.

## CLXXIX.

Tu te omnibus exhibe, cogitans te omnium ſervum; nec tibi, ſed cunctis genitum te vivere credas, datum indoctis doctorem, conſolatorem pauperum, ſolatium oppreſſorum, patrem orphanorum,

orphanorum, defenſorem viduarum, & omnibus debitorem. *Petr. Bleſen. de Inſtit. Epiſcop. cap.* 4.

CLXXX.

Quod Chriſtiani ſumus, propter nos eſt: quod præpoſiti ſumus, propter vos. *Auguſt. Serm. de paſtor. Eccleſiæ apud Conc. Aquiſg.*

CLXXXI.

In alto ſedens, non alta ſapias; per omnia ſentiens humiliter, humilibusque conſentiens, non ambules in magnis, nec in mirabilibus ſuper te. Hoc ergò ſentias in teipſo, quod in Chriſto JESU, ut ſicut exinanivit ſe, formam ſervi accipiens, ſic eorum, qui tibi ſubjecti ſunt, ſervum te reputes humilem & abjectum: non ſit tibi dedecori humilitas, quæ decuit filium DEI. Frequenti, quæſo, ſcrutinio diſpice & attende, qualis ex dono DEI ſis, & qualis ſis ex teipſo, & redde quæ tua ſunt tibi, & quæ DEI DEO. *Petr. Bleſen. de Inſtit. Epiſc. cap.* 3.



Digitized by Google

## CLXXXII.

Sunt qui honores virtutes reputant, ſuiſque meritis adſcribunt gradum eminentiæ, quem in ira DEI fortaſsis adepti ſunt. Honoris aſſumptio multis tentatio facta eſt, & ſubverſionis occaſio. Igitur ſic præſis, ut proſis. Væ his, qui præſident hominibus, niſi præſideat ijs DEUS. *Petr. Bleſen. de Inſtit. Epiſc. cap.* 3.

## CLXXXIII.

Qui præficitur ad regimen, taliter erga diſciplinam Subditorum præſtare ſe debet, ut non ſolùm auctoritate, verùm etiam humilitate clareſcat. *S. Iſidor. Hiſpal. lib.* 3. *Sent. cap.* 42.

## CLXXXIV.

Cuncti, qui præſunt, non in ſe poteſtatem debent Ordinis, ſed æqualitatem penſare conditionis; nec præeſſe ſe hominibus gaudeant, ſed prodeſſe. *S. Gregor. paſtor. part.* 2. *cap.* 6.

## CLXXXV.

Summus locus bene regitur, cum is, qui

præeſt,

præeſt, vitijs potiùs, quàm fratribus dominatur. *Idem ibid.*

## CLXXXVI.

Eſt enim Chriſtus eorum, qui humiliter ſe gerunt, non eorum, qui eriguntur in gregem ſuum. *Clem. Alex. lib.* 4. *Strom.*

## CLXXXVII.

Tolle hoc vitium à Clero, ne velint hominibus placere; & ſine labore omnia vitia reſecantur. *Auctor Operis imperf in Matth. homil.* 43.

## CLXXXVIII.

Verùm tu, Sacerdos DEI altiſſimi, cui ex his placere geſtis, mundo, an DEO? Si mundo, cur Sacerdos? Si DEO, cur qualis populus, talis eſt Sacerdos? Nam ſi placere vis mundo, quid tibi prodeſt Sacerdotium? Nec enim potes duobus Dominis ſervire. Volens itaque placere hominibus, DEO non places. Si non places, non placas. *S. Bernard. Epiſt. ad Henr. Senon.*

CLXXXIX.

CLXXXIX.

Dilatata videtur Eccleſia. Ipſe etiam Cleri ſacratiſſimus ordo, fratrum numerus ſuprà numerum multiplicatus eſt. Verùm etſi multiplicaſti gentem, Domine, non magnificaſti lætitiam. *S. Bernard. de Converſ. ad Clericos cap.* 21.

CXC.

Meſſis quidem multa, operarij verò pauci. Ecce mundus Sacerdotibus plenus eſt, ſed tamen in meſſe DEI rarus invenitur operator: quia officium quidem Sacerdotale ſuſcipimus, ſed opus officij non implemus. *S. Gregor. homil.* 17.

CXCI.

Ut vinea Domini ex illius præcepto ritè ſemper colatur, multaque meſſis in horreum reportetur, multis operarijs opus eſt, quorum tamen non tam numerus, quàm virtus ſpectanda eſt. Paucos enim idoneos & probatos habere ſatius eſt, quàm multos inutiles; atque adeò ipſo vitæ genere pernicioſos. *Auctor. Operis imperf.*

Digitized by Google

*imperf. in Matth. homil.* 43.

CXCII.

Multi Sacerdotes, & pauci Sacerdotes: multi nomine, pauci opere. *Auctor. Operis imperf. in Matth. homil* 43.

CXCIII.

Feſtinandum eſt nobis, ut à paucis ac rariſſimis ſumamus exempla virtutum. *Caſſ. Col. lat.* 3. *cap.* 7.

CXCIV.

Conſidera, te de paucis & electis effectum, & ne exemplo ac tepore multitudinis refrigeſcas. Sed VIVE UT PAUCI, UT CUM PAUCIS INVENIRI MEREARIS IN REGNO DEI: multi enim ſunt vocati, pauci verò electi; & puſillus eſt grex, cui complacuit patri hereditatem dare. *Idem lib.* 4. *de Inſtit. Renunt. cap,* 38.

CXCV.

Univerſa perpetua ſint, quæ à Domini Sacerdotibus ſtatuuntur, qui, ut Moyſes, ea, quæ ſtatuunt,

Digitized by Google

ſtatuunt, ab oraculo divino ſuſcipiunt. *Symmachus Papa Epiſt. ad Aeonium.*

CXCVI.

Sanctorum Catholicorum & probatiſſimorum Patrum ſenſum quisque ſequatur, in quorum ſcriptis, ut beatus dicit Hieronymus, fidei veritas non vacillat. *Concil. Meldenſe. An. 845. cap. 34.*

CXCVII.

IN JUDICIO DEI IGNIS ÆTERNI TORMENTA SUSTINEBIT, QUI ECCLESIASTICA DECRETA NEGLEXERIT.

*S. Clemens Epiſt. 1.*

EX

Digitized by Google

# EX CATECHISMO ROMANO, DE SACRAMENTO ORDINIS,

SI quis aliorum Sacramentorum naturam, & rationem diligenter conſiderarit, facilè perſpiciet, ea omnia ab Ordinis Sacramento ita pendere, ut ſine illo partìm confici, & adminiſtrari nullo modo queant: partìm ſolemni cæriminoniâ, & religioſo quodam ritu, ac cultu carere videantur. Quare neceſſe eſt, ut Paſtores inſtitutam Sacramentorum doctrinam perſequentes, eò diligentiùs de Ordinis etiam Sacramento ſibi agendum arbitrentur. Proderit autem maximè hæc explicatio, primùm quidem illis ipſis, deinde

U alijs,

alijs, qui Eccleſiaſticæ vitæ rationem ingreſſi ſunt; poſtremò etiam fideli populo: ipſis, quòd dum in hujus argumenti tractatione verſantur, ad eam gratiam excitandam, quam hoc Sacramento adepti ſunt, magis commoventur: alijs, qui in ſortem Domini vocati ſunt, partìm ut eodem pietatis ſtudio afficiantur; partìm verò, ut earum rerum cognitionem percipiant, quibus inſtructi, viam ſibi ad ulteriores gradus faciliùs munire poſſint: Reliquis autem fidelibus, primùm quidem ut intelligant, quo honore digni ſint Eccleſiæ miniſtri; deinde, quoniam ſæpè contingit, ut multi adſint, vel qui ſpe liberos ſuos adhuc infantes Eccleſiæ miniſterio deſtinarint; vel qui ſuâ ſponte & voluntate illud vitæ genus ſequi velint: quos certè ignorare minime æquum eſt, quæ præcipuè ad hanc rationem pertinent. Primùm itaque fidelibus tradendum eſt, quanta ſit hujus inſtituti, ſi ſummum ejus gradum, hoc eſt, Sacerdotium ſpectemus, nobiltas & excellentia.

Digitized by Google

lentia. Nam quum Epiſcopi, & Sacerdotes tanquàm DEI interpretes, & internuntij quidam ſint, qui ejus nomine divinam legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius DEI perſonam in terris gerunt; perſpicuum eſt, eam eſſe illorum functionem, quà nulla major excogitari poſſit. Quare meritò non ſolùm Angeli, ſed Dij etiam, quod DEI immortalis vim, numen apud nos teneant, appellantur. Quamvis autem omni tempore ſummam dignitatem obtinuerint, tamen Novi Teſtamenti Sacerdotes ceteris omnibus honore longè antecellunt. Poteſtas enim tum corpus, & ſanguinem Domini noſtri conficiendi, & offerendi, tum peccata remittendi, quæ illis collata eſt, humanam quoque rationem, atque intelligentiam ſuperat: nedum ei aliquid par, & ſimile in terris inveniri queat. Deinde verò, quemadmodum Salvator noſter à Patre, Apoſtoli autem, ac diſcipuli in univerſum mundum à Chriſto Domino miſſi ſunt;



Digitized by Google

ita quotidiè Sacerdotes eàdem, quà illi, poteſtate præditi (a) ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij in ædificationem Corporis Chriſti mittuntur. HUJUS IGITUR TANTI OFFICIJ ONUS NEMINI TEMERE IMPONENDUM EST: SED JIS TANTUM, QUI ILLUD VITÆ SANCTITATE, DOCTRINA, FIDE, PRUDENTIA, SUSTINERE POSSINT. (b) Nec verò quiſquam ſumat ſibi honorem, ſed qui vocatur à DEO tanquam Aaron. Vocari autem à DEO dicuntur, qui à legitimis Eccleſiæ miniſtris vocantur. Nam qui in hoc Miniſterium ſe ipſos arroganter inferunt, atque intrudunt; de his (c) Dominum intellexiſſe docendum eſt, quum inquit: Non mittebam Prophetas, & ipſi currebant. Quo quidem hominum genere nihil

(a) *ad Eph.* 4. (b) *ad Heb.* 5.

(c) *Hiere.* 23.

intelicius,

infelicius, ac miſerius, nihil Eccleſiæ DEI calamitoſius eſſe poteſt.

Sed quoniam in omni actione ſuſcipienda magnopere refert, quem ſibi quisque finem conſtituat, (optimo enim fine poſito, rectè omnia conſequuntur) de hoc in primis, qui ſacris initiari volunt, admonendi ſunt, ut nihil ſibi tanto munere indignum proponant. Qui quidem locus eò diligentiùs tractandus erit, quò graviùs hoc tempore ea in re peccare fideles ſolent. Alij enim eo conſilio ad hanc vivendi rationem ſe convertunt; ut, quæ ad victum veſtitúmque neceſſaria ſunt, parent: ita ut præter quæſtum, nihil aliud in Sacerdotio, quemadmodum vulgò ceteri omnes in quovis ſordidi artificij genere, ſpectare videantur. Quamvis enim, ex (a) Apoſtoli ſententia, natura, & divina lex jubeat, ut qui altari ſervit, ex altari vivat: tamen, quæſtûs, & lucri cauſsâ ad

(a) I. Cor. 9. 9. 10. 11.



Digitized by Google

altare accedere, maximum ſacrilegium eſt. Alios honorum cupiditas, & ambitio ad Sacerdotalem Ordinem ducit. Alij verò, ut divitijs affluant, initiari volunt; cujus quidem rei illud argumento eſt, quod, niſi opulentum aliquod eccleſiaſticum beneficium ijs deferatur, nullam ſacri Ordinis cogitationem habent; hi verò ſunt, quos (a) Salvator noſter mercenarios appellat, & quos (b) Ezechiel dicebat, ſemetipſos, & non oves paſcere, quorum turpitudo, & improbitas non ſolùm Sacerdotali Ordini magnas tenebras offundit; ita ut jam nihil ferè à fideli populo haberi poſſit contemptius; & abjectius; verùm etiam efficit, ut ipſi nihil amplius ex Sacerdotio conſequantur, quàm Judas ex Apoſtolatûs munere: quod illis ſempiternum exitium attulit. Illi autem oſtio in

(a) *Joann.* 10. (b) *Ezech.* 34.

Eccleſiam

Eccleſiam introire meritò dicuntur, qui à DEO legitimè vocati, Eccleſiaſtica munera ejus unius rei cauſâ ſuſcipiunt, ut DEI honori inſerviant. NEQUE TAMEN HOC ITA ACCIPIENDUM EST, QUASI EADEM LEX ÆQUE OMNIBUS NON SIT IMPOSITA. Homines enim ob eam rem conditi ſunt, ut DEUM colant, quod præcipuè fideles qui baptiſmi gratiam conſecuti ſunt, ex toto corde, ex tota anima, & ex totis viribus præſtare debent. Verùm qui Ordinis Sacramento initiari volunt, hoc ſibi proponant opus eſt, ut non ſolùm DEI gloriam in omnibus rebus quærant, quod quidem cum omnibus, tum maximè fidelibus commune eſſe conſtat; ſed etiam ut alicui certo Eccleſiæ Miniſterio addicti, in sanctitate, & juſtitia illi ſerviant. Nam ut in exercitu omnes quidem milites imperatoris legibus parent, ſed inter eos tamen alius Centurio, alius Præfectus eſt, alij alia munera obeunt: ita quamvis omnes fideles pietatem, &

innocentiam

innocentiam ſectari omni ſtudio debeant, quibus rebus maximè DEUS colitur; eos tamen, qui Ordinis Sacramento ſunt initiati, præcipua quædam munera, & functiones in Eccleſia exequi oportet: nam & ſacra pro ſe ipſis, & pro omni populo faciunt, & divinæ legis vim tradunt; ad eámque prompto, & alacri animo ſervandam fideles hortantur, & inſtituunt; & Chriſti Domini Sacramenta, quibus omnis gratia impertitur, & augetur, adminiſtrant; &, ut uno verbo complectamur, à reliquo populo ſegregati, in omnium longè maximo, & præſtantiſſimo Miniſterio ſe exercent &c.

EPISTOLA

Digitized by Google

# EPISTOLA II.

## AD EOSDEM DE CARDINALIS VINCENTII MARIÆ URSINI ELECTIONE IN SUMMUM PONTIFICEM.

COnſolatus eſt tandem DEUS afflictionem Eccleſiæ Sponſæ ſuæ, & ſuſcitavit ſibi Sacerdotem fidelem Eminentiſſimum Vincentium Mariam Urſinum Dominicanæ Familiæ Car-

 dinalem,

Digitized by Google

dinalem, qui miro Electorum conſenſu, nec ſine divini Numinis manifeſtatione elatus eſt Romæ ad Petri Cathedram IV. Kal. Junias, ſibique nomen delegit Benedicti XIII.; Epiſcopus anteà vitæ integritate clariſſimus, & cum antiquis illis Patribus exemplo, doctrinâ, pietate, ac præcipuè ſanctioris diſciplinæ ſtudio comparandus, quique à prima juventute invitus Cardinalatum accepit, & in venerabili ſenectute invitus, ac mærens fuit Pontifex renunciatus. Hoc cum Univerſo Chriſtiano Orbi feliciſſimum, tum vobis perjucundum fore arbitror, qui ſapientiſſimi Pontificis ſtudia, de quo veré dixit DEUS, quod juxtà cor ſuum, & animam ſuam faciet, in populos vobis concreditos, & Clerum, præſertim æmulabimini. Videtur ſanè Dominus Eccleſiæ ſuæ optatiſſima illa tempora reduxiſſe, in quibus nihil tepidum, nihil inane, ſed charitate, Spiritu DEI & ſanctimoniâ fervere omnia deprehendebantur. Noſtrûm modò erit Sanctiſſimi Paſtoris

ſtoris veſtigia non ſequi tantùm, ſed premere, nec feſſos in curſu ſubſiſtere, donec metam ab ipſo nobis propoſitam attingamus. Vos autem interim, Fratres Chariſſimi, & ſi hactenus hoc abundè præſtitiſſe ſcio, etiam atque etiam rogo, atque obſecro, ut alacriter diſciplinam urgeatis in qua non parùm proficient Clerici, ſi diu noctuque ſaluberrima illa monita revolvent animo, quæ juſſu meo primum edita, vobis posteà mandantibus fuerunt in Diæceſibus iſtis ſummo cum fructu, nec ſine veſtra laude recuſa, atque Apoſtolicum Legationis hujus Miniſterium, quo mearum virium imbecillitate premor, ope, pietate, ac prudentià veſtrà juvetis impoſterùm; vosque tandem in Domino opto bene valere Fratres Chariſſimi.

Datum Curiæ Ræthorùm XIII. Kal.

Julias MDCCXXIV.

# EPISTOLA III.

AD

EOSDEM EPISCOPOS

DE

INSTRUCTIONIBUS

# SANCTI CAROLI

BORROMÆI

AD

CONFESSARIOS.

TAnta eſt, F. C., difficillimæ villicationis noſtræ ratio, quam ſummo animarum Paſtori, Chriſto Domino, reddituri ſumus, in die judicij, ut quæcunque ſcripta ſunt, ad

Digitized by Google

ad noſtram doctrinam ſcripta eſſe, & omnes undique in nos divinæ ultionis terrores, periculaque omnia impendere videantur. Parum fortaſſe eſſet innocentiam morum, ſugam ſæculi, orationum inſtantiam, vitæ contemptum, charitatis amorem, ceterarumque virtutum conſecutionem, quibuſcumque Ordinis noſtri Fratribus, tot ſcripturæ teſtimonijs demandatam fuiſſe; niſi DEUS, qui non vult perdere quemquam, à nobis efflagitaret ſanguinem illorum, qui culpâ noſtrâ, (quod abſit) perituri eſſent. Hâc enim lege munus ſuſcepimus, & Chriſto Duci Sacramentum diximus, ut exemplo ejus, qui juſtus pro peccatoribus mortuus eſt, pro ſalute fratrum noſtrorum poneremus animas noſtras. Hæc tam aperta ſcripturarum oracula non mundus reſcindet, non ſæculi mores infirmabunt, non hominum traditiones irrita facient; quippe Chriſtus, cujus verba non tranſibunt, quique divino ore illa promulgavit, fuit heri & hodie: nec major

eſt

eſt ſervus Domino ſuo, qui, confuſione contemptâ, ſuſtinuit crucem, ut conſummaret opus, quod dederat illi Pater. Quoties ergo mihi ante oculos obverſatur onus Apoſtolici Miniſterij, quod apud Vos, Helvetiamque Catholicam à quinque jam annis gero, toties timore perculſus horreo, ac reformido diſtrictam divini judicij cenſuram, ne reus negligentiæ coarguar; cum non ignorem, judicium duriſſimum fore jis, qui præſunt. Permagnum ſiquidem negotium eſt, ita hoc munus præſtare, ut detrimenti nihil, plurimum autem utilitatis, capiant Religio, & Respublica, quarum ſalus præcipuè ſita eſſe videtur in optima Cleri diſciplina, quæ in luce omnium poſita, ſingulis ad beatè moratèque vivendum, prælucere, & veluti ſpeculum quoddam, ſinceram illam, & non fucatam Chriſtianæ pietatis imaginem exhibere debet. Nam quo altiùs Sacerdotes dignitate reliquis præſtant, eò magis neceſſe habent alijs præcellere vitæ ſanctitate, cui tanta

tanta vis ineſt, ut hâc vel parùm neglectâ, Prophetæ non dubitaverint eoſdem vocare in cauſſam omnium malorum: ipſis quippe dictum eſt: erit ſicut populus, ſic Sacerdos. Hæc igitur memoriâ repetens, omnia mihi tentanda eſſe arbitror, ut Vos, F. C., in regimine animarum, quas Dominus curæ veſtræ concredidit, perpetuam aliquam, atque conſtantem meæ erga Vos voluntatis ſignificationem habeatis. Cumquè in tanto onere ferendo, nihil, aut parùm præſidij, pro ingenij meî paupertate, Vobis in hoc ſtudio omnium maximo, diu noctuque verſatis, conferre poſſim, operæ pretium duxí in medium afferre alienos labores, quibus veſtrorum Sacerdotum labia, nullo planè negotio, ſcientiam Domini cuſtodire, & in aliorum utilitatem, ubi opus erit, illam valeant reſerare. Decebat quidem, aureo illo opere nuper in lucem revocato, quo Cleri Monita continentur, alteri manum admovere, quod ad convellenda ex po-

pulorum

pulorum animis vitia maximè conducat, & Myſteriorum DEI diſpenſatoribus tutam, expeditamque ſanandis eorum vulneribus viam aperiat, præbeatque remedia, quibus infirmum conſolident, ægrotum ſanent, confractum alligent, abjectum reducant, & perditum requirant. Hoc præſtabit opus illuſtre, quod nomini veſtro inſcriptum prodire volo: cujus apud æquos rerum æſtimatores, unica laus erit ſanctiſſimi illius viri, cum antiquis omnibus comparandi, Caroli Cardinalis Borromæi, maxima auctoritas. Quot ille Apoſtolicis laboribus, in Cleri diſciplina & moribus inſtaurandis deſudaverit, rerum ab eo geſtarum ſingularis Hiſtoria, & incomparabilis Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis theſaurus, abundè teſtantur. Divino planè conſilio factum fuit, ut ejus lucubrationes ſpiritu DEI refertæ, non uni Mediolanenſi, ſed toti Catholicæ Eccleſiæ inſervirent, inque illas animum & omnem curam intenderent, quotquot paſtoralis officij partes

cognoſcere

Digitized by Google

cognoſcere volunt, & adimplere ſatagunt: quoniam ſcripta hæc præclariſſima ea omnia complectuntur, quæ ad fidelium inſtitutionem Summi Pontifices, Concilia, & Eccleſiæ Patres nobis tradiderunt. Quæ autem, præ ceteris Beatiſſimi Præſulis Inſtructionibus, majorem utilitatem iſtis regionibus veſtris afferre poſſent, illæ mihi procul dubio videri ſolent, quæ Confeſſarij munus ad certam regulæ normam ita dirigunt, ut tanti officij momenta diligentiſſimè perpendant, magnumque Pœnitentiæ Sacramentum eo cum fructu adminiſtrent, qui maximus eſſe poſſit. Ne verò ſine graviſſimis cauſis hoc conſilium à me ſuſceptum videatur, dicam quid primùm ad id me moverit. Movit auctoritas Summorum Pontificum, qui pro ſuo judicio, in tanta re falli neſcio, ſtatuerunt, nihil magis expedire ovibus, quas ex Chriſti mandato paſcere debent, quàm ſæpenumerò has ipſas Inſtructiones Romæ publicis typis committendas curare; adeo enim ipſis



Digitized by Google

probata eſt earum doctrina, ut univerſis Romanæ Eccleſiæ Confeſſarijs, juſſu Eminentiſſimi Cardinalis illius, qui munere Vicarij Summi Pontificis in Urbe fungitur, tanquam adminiſtrandæ Pœnitentiæ norma conſtitueretur. Accedit Joannis Franciſci Bonomij, celeberrimi quondam Vercellarum Epiſcopi, exemplum imitatione digniſſimum. Fuit is Sancto Carolo familiaris intimus, & ex illorum præſtantium virorum numero, quibus floruit ejus domus, ex qua, tanquam è ſchola verè Apoſtolica, plurimos exjiſſe diſcipulos, tanto Inſtitutore dignos, memoriæ proditum eſt. Qualis quantùſque fuerit Bonomius, ex graviſſima illa Epiſtola, quam Carolus à Baſilica Petri, ad Patrem Ludovicum Granatenſem, de obitu Borromæi dedit, agnoſcere licet, ubi cum Ludovicus mentionem injeciſſet de Caroli Teſtamento: *Scripta ſua*, inquit, *ad conciones pertinentia legavit Epiſcopo Vercellenſi, quo neminem arbitror Epiſcopum illi fuiſſe chariorem, neque*

*etiam*

*etiam magis probatum.* Optimè ergo ſacris diſciplinis inſtitutus Bonomius, & ad omnia Clericalis officij munera egregiè inſtructus, Vercellenſi Eccleſiæ præficitur, quam tamen præſens diu moderari non potuit: nam mirum hominis ingenium, mira prudentia, atque illa præcipuè veteris diſciplinæ ratio, quam acceperat ab ore Caroli, qui dum vixit, ſemper ab ipſo habitus eſt loco amantiſſimi Patris, in cauſa fuerunt, cur Summi Pontificis imperio, plures Legationes obierit: qui quidem honor in ea temporum acerbitate, ubi tot hæreſes graſſabantur, nonniſi viris Sacerdotali quàdam animi magnitudine, morum itidem ſanctitate, & ſacrarum Litterarum doctrinà probè munitis demandabatur. Bonomius hic cis Alpes primus extulit librum Actorum Eccleſiæ Mediolanenſis, nondùm in lucem prolatum; magnoque reverà, æternùmque laudando, non tam ſuo, quàm piorum aliquot, & litteratorum virorum, quibus eum legendi



Digitized by Google

copiam fecerat, conſilio egit, ut inde quædam utiliora opuſcula ſeligerentur, ex quibus guſtum aliquem eorum, quæ toto illo volumine comprehendebantur, capere unuſquiſque facilè poſſet. In his principem locum obtinent Tractatus inſignes tres: De Munere eorum, quibus prædicandi verbum DEI, Confeſſiones audiendi, & ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrandi, onus incumbit. Cumque uberem fructum Catholicæ Eccleſiæ inde acceſſurum facilè perſpexiſſet; Enchiridij cujuſdam formâ, Antuerpiæ, & Coloniæ typis eos dari permiſit; quo commodiùs in Eccleſiarum regimine conſtitutis præſtò eſſe poſſent. Hujus conſilium, dum ego mihi proponerem, animum, mentemque meam confirmavit perſpicax Borromæi judicium, qui cum hanc ipſam Urbem, vicinaque loca perluſtrans, miſerè ubique Clerum, populum, & Religionem jacere animadverteret, tot malorum dolore tactus, ad Helvetiæ præſidium, adoleſcentum Collegium Mediolani magni-

ficentiſſimè

tiſſimè extruxit, atque ita poſtmodùm vir pientiſſimus apud Summum Chriſti Vicarium conſilio valuit, ut perpetua ad Vos, ceterosque Catholicos Pagos, negotiorum Religionis cauſsâ, Legatio à S. Sede Apoſtolica, aliquando intermiſſa, iterùm impoſterùm decerneretur: cujus præcipuas partes eſſe voluit, diligentiſſimè collapſam Cleri diſciplinam reſtituendi. Hæc omnia Joannes Petrus Gluſianus, qui juſſu magni Cardinalis Baronij, res geſtas ſancti viri ſcripſit, & poſterorum memoriæ conſignavit. Cùm ergo diſcipuli mores, animumque ſibi optimè perſpectos Borromæus haberet, hanc ei provinciam delegandam curavit; & licèt Bonomius veteris diſciplinæ memor, ab Eccleſia Vercellenſi, ſponsâ ſuâ, ægrè ſe divelli ſit paſſus; attamen Magiſtro, & quod caput eſt, Pontifici morem geſſit. Mirum eſt, quantâ dignitate hanc Legationem obierit, quot labores, curaſque exceperit, ut iiſdem illis diſſitis, ac præruptis

locis,

Digitized by Google

locis, quibus ampliſſimi hujus muneris ſpatium circumſcriptum eſt, ſacras ſuas cogitationes terminaret de Catholicæ Religionis indemnitate, de populorum ſalute, de Apoſtolicæ Sedis gloria, ſemper ſollicitus. Utinam, F. C., his luculentis tantarum virtutum veſtigijs, ante oculos meos poſitis, ego, hoc duce, conſtanter inſiſterem, tamque illuſtri excitatus exemplo, quas Vobis, quas Religioni, quas Apoſtolicæ Sedi, partes debeo, diligentiſſimè explerem! Sed tanto oneri impar, miſer ego, & indignus peccator, vix poſſum cogitatione compleɛti, nedùm imitari, quæ fortiter eximius ille Bonomius confecit. Ne tamen animum deſpondeam, quæ regimini poſterorum magis conducere ille ſapienter, pro more, putavit, eadem ego hìc Vobis denuò offerre cónſtitui. Nec diu mihi hærendum fuit, an exordium caperem à Confeſſariorum Inſtruɛtionibus; cùm ſummopere ipſis, & pœnitentibus neceſſe

neceſſe ſit eas apprimè cognoſcere : prioribus quidem , quia ſanctum Pœnitentiæ Sacramentum eò diligentiùs adminiſtrandum eſt , quò ejus frequentior eſt uſus , quòque plura requiruntur ad illud rectè dignèque tractandum : alteris verò , quia eorum ſaluti malè conſuleretur , ſi excideret illud Sancti Ambroſij , apertè declarantis , *faciliùs ſe inveniſſe , qui innocentiam ſervaverint , quàm qui congruè egerint pœnitentiam.* Inſtar omnium , quæ hoc loco à me commemorari poſſent , erit Cardinalis Carpineï Parænetica Epiſtola ſanè graviſſima , Innocentij XII. Pont. Max. juſſu , ad Urbis Confeſſarios præſcripta : hanc ex Italico ſermone in Latinum converſam adjungimus , quia rem totam exhaurit ; illíque egregiè concinunt , quæ ex Tridentino Concilio afferuntur ad Calcem Editionis IV. Romanæ. Reliquum eſt , Venerabiles Fratres , ut animis omnium , quos curæ Veſtræ DEUS commiſit , penitùs infigi curetis illa S. Gregorij verba : *Quid prodeſt*

*confiteri*

Digitized by Google

*confiteri flagitia, ſi Confeſſionis vocem non ſequitur afflictio Pœnitentiæ? --- Tunc nàmque bene converſum peccatorem cernimus, cùm dignâ afflictionis auſteritate delere nititur, quod loquendo confitetur.* Ceterùm Beatiſſimi Caroli monita, etiam me tacente, cauſam ſuam agunt. Opto Vos in Domino ſemper bene valere, & mei meminiſſe in orationibus veſtris. Datum Altorffij Helvetiorum fer. III. Hebdomadis II. Jejunij Quadrageſimalis, Anni M. DCC XXVI. Sedente Sanctiſſimo Domino Noſtro Benedicto XIII. Pont. Max.

CAS-

Digitized by Google

# CASPAR
# DE CARPINEO
S. R. E. EPISCOPUS
## CARDINALIS SABINUS,
Urbis, Et Ejus Districtûs
Pro Sanctiſſimo Domino Noſtro
## INNOCENTIO
XII. PONT. MAX.
VICARIUS GENERALIS,
Reverendis ejusdem Urbis, & Diſtrictûs
Confeſſarijs,
*SALUTEM IN DOMINO.*

GRaviſſima diſpenſatores probos, ac fideles divinorum myſteriorum habendi ſollicitudo, cum ab Apoſtolo Paulo fuerit his verbis

 animadverſa;

Digitized by Google

animadverſa : (*a*) *Sic nos exiſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorum DEI* : dubio procul in Pœnitentiæ Sacramenti adminiſtratione, debet ſummopere augeri, cujus uſus, ut Fidelibus omnibus ſaluberrimus, qui ad illud rectè diſpoſiti, & parati accedunt; ita ejus Miniſtris periculoſus deprehenditur, ſi in debito adminiſtrandi modo deficere comperiantur. Timor ne id eveniat, has à nobis cum eodem Apoſtolo voces exprimit : (*b*) *Hic jam quæritur inter diſpenſatores, ut fidelis quis inveniatur* : Talis videlicet, qui non propriam voluptatem, non privatum commodum, nec futilem laudem, nec emolumentum; ſed DEI gloriam, & ſpiritualem animarum ſalutem conſectetur; quique tantam poteſtatem exerceat, non pro voluntate, ut Dominus, ſed tanquam Miniſter pretioſiſſimi Chriſti ſanguinis ábluendis peccatorum maculis deſtinati, rationem ſupremo judici redditurus. Monuit

(*a*) 1. *Cor.* 4. 2. (*b*) *Ibidem.*

jam

Digitized by Google

jam nos Salvator Jeſus, (*c*) cæcus ſi cæco ducem ſe præbeat, ambos in foveam, in æternam ſcilicet damnationem, eſſe ruituros; exprobavit quoque Phariſeis ſectatorum, & coronæ cupidis, (*d*) quòd mare, & aridam circuirent, ut facerent proſelitos, factos verò, ductu ſuo, in graviora traherent peccata; ſicut & alibi, (*e*) quòd clauderent doctrinâ peſſimâ, & exemplo, regnum cœlorum, ante homines, in quod nec ipſi, ut perditi, intrarent, neque alios intrare permitterent, eos à recto virtutis tramite avertentes, quos fideliter ducere debuiſſent. Iſtud profectò eveniret, quoties ſacri Pœnitentiæ Miniſtri illaudabilem vitam agerent, eaque altiùs in ſe foverent vitia, quæ è Pœnitentium cordibus ſe evellere profitentur; ſi ſapientiâ deſtituti, zelo non ſecundùm ſcientiam abundarent, aut culparum vulnera, non tanquam innocui Samaritani vino

(*c*) *Matth.* 15. 14. (*d*) *Matth.* 23. 16.
(*e*) *Matth,* 23. 13.

Chriſtianæ juſtitiæ, & manſuetudinis oleo curarent; ſed jis potius blandirentur: ſi non negligerent tantùm, ſed aliena peccata mulcerent, deteſtabili ſanè facilitate humanis dimenſa rationibus, potentiâ, nobilitate, vel etiam commodo, quod ab his, qui eis, ſuos reatus confitentur, expectant; *Conſuendo*, juxta Propheticum dictum, (*f*) *pulvinos ſub omni cubito manus, & cervicalia ſub capite univerſæ ætatis*, eò tandem progreſſi, ut ſinant illas vel æternò perire animas, vel in vitijs obdormire, vel falſæ acquieſcere confidentiæ, pro quibus in ſacro Confeſſionis munere ſuas illi animas obligârunt. Debent igitur verâ tanti ponderis cognitione moti, ſecundùm Sapientis oraculum (*g*) *diſcurrere, feſtinare, agere, loqui, monere, corripere, excitare*, nec anteà ſomnum dare oculis ſuis, quàm eas è diaboli faucibus retraxerint, & liberaverint. Potiſſima hæc fuit ratio, cur ſanctiſſimi Eccleſiæ

(*f*) *Ezech.* 13. 18. (*g*) *Proverb.* 6. 3.

Catholicæ

Digitized by Google

Catholicæ Antiſtites adeò ſolliciti fuerint, ut Sacerdotes Miniſterio tam ſublimi adſcripti, quemadmodum ſacræ Synodi teſtantur, eo diligentiſſimè fungerentur; & cur ſuum indeſinenter paſtoralem zelum excitârint, jiſdem ut conſcientiarum arbitris, atque judicibus, Regis Joſaphât ad veteres Sacerdotes, quibus populorum regimen concrediderat, verba graviſſima memorando: (*h*) *Sit timor Domini vobiſcum: cum diligentia cuncta facite; ſic agetis in timore Domini fideliter, & corde perfecto: omnem cauſsam, quæ venerit ad vos, fratrum veſtrorum, oſtendite eis, ut non peccent in Dominum:* allatâ prius ratione illâ validiſſimâ, quæ pro mille eſt in Pœnitentiæ tribunali: (*i*) *Quia non hominis exercetis judicium, ſed DEI; & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.* Ad hoc vos excitet hodie, Venerabiles Confeſſarij, ſummi univerſalis Eccleſiæ Paſtoris viva vox, vox eadem peculiaris Paſtoris veſtri in hac

(*h*) *Paralip.* 19. 7. (*i*) *ibidem.* 6.

Alma

Alma Urbe, ubi ſacrorum Miniſtrorum pietas, doctrina, prudentia, zelus, præ ceteris orbis regionibus, debet prælucere. Obverſatur ipſi ante oculos periculum veſtrum, ſi muneri, quod exercetis, aliqua ex parte deſueritis; & appendit in ſtatera Sanctuarij, cruentam ſtragem, quam de grege ei concredito timere poſſet, ſi malos vos ipſi duces forte fortuna præberetis. Terribile reputat quoque judicium, quod de infidelibus ſervis, in mortis diſcrimine, exercebitur, in quo rei ſanguinis poſtulabuntur tot animarum, quas velutì judices in divino Pœnitentiæ tribunali aſſidentes injuſtè judicârunt, non ſecundùm merita, ſed pro lubidine, modò abſolvendo, modò damnando: vel tanquam medici, quales revera ſunt, aut imperitiâ, aut incuriâ, remedijs ſubtractis, perire miſerè coëgerunt. Formidandam expendit ſententiam de novis Sacerdotibus ſeveriùs, quàm de veteribus, in lege gratiæ prolatam: (*l*) ut ſit non dens ſolùm

(*l*) *Levit.* 24. 20.

pro

pro dente , nec oculus pro oculo ; ſed Confeſſarij anima , pro anima confitentis , ſi quando iſtam qualicumque ſuâ culpâ , ſive omiſſionis, ſive commiſſionis , periclitari contigerit. Hinc ſummus idem Paſtor provido zelo commotus , vos omnes ad ſedulam officij veſtri conſiderationem invitat , & propheticum vobis occinit oraculum : (*m*) *State ſuper vias , & videte & interrogate de ſemitis antiquis , quæ ſit bona , & ambulate in ea.* Ob id vobis imperat , ſicuti Edicto noſtro propoſito , vos interpellavimus , ut paucis cujuslibet anni diebus , ſolitudini , & orationi vacetis : rationem ab animis veſtris repoſcentes iſtius , quam vobis commiſit , adminiſtrationis tam eximiæ , in qua Chriſti ſanguinis nobile pretium erogatur. Novas vobis leges proponit , quas in munere veſtro ſequamini , conceptas jam olim à clariſſimo Eccleſiæ lumine , & vera animarum Paſtorum idea , Sancto Carolo , cui recte aptari poteſt

(*m*) *Jerem.* 6. 16.

Baſilij

Digitized by Google

Baſilij Magni elogium, nimirum quòd ſicut ille *per Cæſarienſem*, ita hic *per Mediolanenſem Eccleſiam, toti præluxerit orbi:* modò tamen novæ dici mereantur eæ leges, quas optimus ille deprompſit Antiſtes ex viſceribus antiquioris Eccleſiæ diſciplinæ, ex ſanctioris doctrinæ penetralibus, immò ex ipſamet Sacramenti Pœnitentiæ natura: quod cum per modum emendantis judicij fuerit inſtitutum, neceſſariò exigit, ut & patrata crimina puniantur, & removeantur futura, quatenùs divinâ juvante gratiâ id præſtare licet. Sacras has leges, & ſapientiſſima monita, in hunc libellum conjecta, hortatur vos Pater ſanctiſſimus, ut ſemel atque iterùm attentè legatis & perlegatis, neque illum è veſtris manibus unquam excidere patiamini, aurei inſtar canonis habendum, quo haud difficile vobis erit lapſos populorum mores reſtituere, & emendare. Hoc fuit, quod vobis omnibus annuntiandum nobis præcepit, tanquam obedientiæ filijs, & Comminiſtris, ac Cooperatoribus ſuis in opere longè diviniſſimo, animabus

animabus cœleſte iter complanandi : unde Evangelicis Sacerdotibus nunquam illud exprobretur : (*n*) *Sinite illos , cæci ſunt , & cæcorum duces.* Immò verò veſtrûm quilibet commendabili vitæ pietate , prudenti conſiliorum directione , verâ , ſolidâque doctrinâ ex Ss. Patrum aſſidua lectione comparatâ , non recentibus , nutantibusque opinionibus imbutâ , ita ſe gerat , ut in die rationum , coram ſummo judice , & animarum parente , grandi animo procedens , hoc dicat : (*o*) *Cum eſſem cum eis , ſervabam eos in nomine tuo , & nemo ex eis periit , niſi filius perditionis* , qui deſpexit ſemitas rectas ipſi commonſtratas : & (*p*) *quos dediſti mihi , cuſtodivi , & non perdidi ex eis quemquam.*

(*n*) *Matth.* 15. 14. (*o*) *Joan.* 17. 12.

(*p*) *Joan.* 18. 9.

# EPISTOLA IV.

AD

VISITATORES

CONGREGATIONIS

HELVETO-BENEDICTINÆ.

DE

NOVA EDITIONE PSALTERIJ

VENERABILIS SERVI

DEI

# JOSEPHI

## MARIÆ

CARDINALIS THOMASII

*PRODIJT PSALTERIUM TYPIS MONASTERIJ EINSIDLENSIS PRÆVIA HAC EPISTOLA.*

ACCEDIT INDICULUS INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM VETERUM PATRUM.

Digitized by Google

# DOMINICUS
## ARCHI-EPISCOPUS EPHESINUS
CHARISSIMIS IN CHRISTO FILIJS
## ABBATIBUS,
ET
## VISITATORIBUS
CONGREGATIONIS
## HELVETO-BENEDICTINÆ
SALUTEM ÆTERNAM.

ETſi ubicumque nobis, licèt immeritis, in gerendis S. Apoſtolicæ Sedis negotijs verſari contigit, omnibus planè teſtatam fecerimus egregiam noſtram de præclariſſimæ Familiæ



Digitized by Google

veſtræ commodis, atque rationibus benemerendi voluntatem, neque ullum unquam ergà vos amoris ac benevolentiæ indicium à nobis deſiderari paſſi ſimus; attamen ut nullo non officiorum genere, nedùm vos complecti, verùm etiam res veſtras augere, & confirmare videamur, nunnulla vobis ſignificare decrevimus, quæ maximè conducere putamus Congregationis veſtræ incremento, cujus Inſtitutum à Majoribus veſtris, poſt illam temporum acerbitatem, quæ tot Helvetiæ partes à ſinu Catholicæ communionis avulſit, fortiter ſuſceptum, & auctoritate Apoſtolicâ confirmatum, veſtris diuturnis curis, & laboribus in magnum Religionis præſidium mirificè in dies propagatur; & cum nulla ſanè res ſit, quæ majoribus egeat conſilijs, jure poſtulare videtur fautorem, & ſocium cogitationum veſtrarum Apoſtolicæ Sedis Legatum; ſui enim muneris eſſe quis ambiget, ea præcipuè loca ſummâ quâ pollet auctoritate, fovere, in quibus, tamquam in munitiſſimis Chriſtianæ militiæ caſtris, homines fidei loricam induti, bellum gerunt

Digitized by Google

runt adversùs Satanæ, mundi, atque carnis inſi-
dias, & incitamenta?

Hæc diù multumque animo revolventes eò nos curas omnes intendere debere arbitrati ſumus, ut qui Monaſticam vitam amplectuntur, & in Regulæ tyrocinio ſeſe exercent, habeant unde ritè inſtituantur in obeundo opere DEI, & rectam præcipuè pſallendi doctrinam addiſcant: cum divinum hoc munus præ ceteris, quibus in arctiſſimæ vitæ curriculo diù noctùque vacare tenentur, intimo cordis affectu ac jugi debeat meditatione perſolvi. Hinc Magiſtri Regula nihil eorum prætermittens, quæ ad altiſſimum perfectionis gradum aſſequendum conducere poſſunt, jure, & merito illos adhortatur: *Ita ad pſallendum ſtare, ut mens voci concordet:* (*a*) Cujus Regulæ graviſſima verba Veteris Novique Teſtamenti oraculis comprobata, adeò Majorum veſtrorum animos inflammarunt, ut nihil in hac vita reliquum ſibi facerent, quàm hymnis & canticis Dei potentiam, ac

(*a*) *Cap.* 19.

gloriam

gloriam extollere. Hâc divinarum laudum, modulatione, humanum iſtud & longè miſerrimum mulcebant exilium, & poſiti extrà hominum lucem, in ſylvis & latebris, quò tamquam ad aras, è ſæculi fluctibus erepti confugiebant, mirum quantis perfundebantur delicijs; Creatoris enim majeſtatem laudando, timore corripiebantur; maxima ejus beneficia recenſendo, amore deflagrabant; animæ vulneribus medebantur miſericordiam expoſcendo, & hoſtium inſidijs occurrebant annuntiando juſtitiam; orientem ſolem Pſalmis excipiebant, recedentem proſequebantur, æternæ illius lucis, quæ interitum neſcit, ortum ſollicitè deprecantes, & alternantibus choris, vices cæleſtis Jeruſalem, in qua perpetuum eſt canticum, referebant in terris. Nihil hìc dicimus, quod non illuſtria omnium ſæculorum monumenta nos anteà docuerint; ad inſtar omnium apud vos erunt quæ in celeberrimo Luxovienſi cænobio de laude perenni à Beato Columbano profecta referuntur, qui è Britan

Britannicis finibus, Chriſto duce, cum ſocijs egreſſus, primus in has oras monaſticam vivendi formam invexit, easque Evangelicæ veritatis luce undequàque perfudit.

Si cui verò ratio reddenda eſſet, undenam tantum antiquorum ſtudium erga Pſalterium, unde tot vigiliæ in hac ſtatione excubantium, unde talis tantusque labor ut illud totum mente perciperent, & memorià cuſtodirent? Hoc nimirum ex eo peti debet, quod pſallebant ſapienter, ideſt *intelligenter*, & *eruditè*, ut legunt S. Auguſtinus, & S. Hieronymus: optimè ſiquidem noverant in libro Pſalmorum, velut in locupletiſſimo Sacrarum Scripturarum theſauro, contineri ſummum, & excellentiſſimum Religionis noſtræ opus, nempè DEI laudem, orationem, Chriſti myſteria, gratiæ divitias, Eccleſiæ natalia, iniquorum pœnas, & omnibus bonis affluentes æternùmque manſuras ſanctorum delicias. Etenim quis noſtrûm, tam DEO vacuus, uſque adeò res divinas faſtidiret, & terrenas amaret; tu

Pſalmo-

Pſalmorum ſuavitate curarum æſtus non ſedaret, & cordis duritiem non deliniret? Quis tam ferreus, tot tantisque Spiritûs Sancti gemitibus invitatus ad veniam, compunctionis lacrymas cohiberet?

Vobis ergo nihil omninò mirum videbitur (*b*) *antiquos Patres ſtrenuè unâ die hoc munus impleviſſe, quod nos tepidi utinam ſeptimanâ integrâ perſolveremus.* Quæ Regulæ verba de totius Pſalterij recitatione non tam vobis, quàm nobis, ac Clericis omnibus animo penitùs inſigi vehementiſſimè optaremus; facili enim negotio tunc in divinis laudibus perſolvendis incenderemur amore, ſi (monente Apoſtolo) (*c*) loquentes nobismetipſis in pſalmis, hymnis, & canticis pſalleremus Domino ſpiritu, & mente: ſed veremur maximè, *ne plerique noſtrùm cantent veluti merulæ, pſitaci, corvi, picæ, & hujusmodi volucres*; ut non minùs feſtivè, quàm verè, & pro more ſapienter, plebem ſuam

(*b*) *cap.* 18. (*c*) *in Epiſt. ad Ephesios c.* 5. *v.* 19.

Hippo-

Hipponenſem Auguſtinus arguebat ; (*d*) cujus ſaluti , & rectæ inſtitutioni ſollicitus excubans amantiſſimus Pater , totus deſudabat in Pſalmorum explanatione , *ne conventus* ( inquit ) (*e*) *Eccleſiaſtici , in quibus recitabantur , eorum intelligentiâ fraudarentur :* illud addens : *ſcienter cantare naturæ hominum divinâ voluntate conceſſum eſſe* ; undè , ut canentium mentes permoveret , & ipſorum animis pios erga DEUM excitaret affectus , qui Pſalmorum verbis reſponderent , & intimam eorum vim aſſequerentur , ita paternè eos admonebat : (*f*) *Si orat pſalmus , orate ; ſi gemit , gemite ; & ſi gratulatur , gaudete ; & ſi ſperat , ſperate ; & ſi timet , timete ; qui enim non attendit , quid in ipſis verbis intelligi debeat , aures ejus accipiunt tranſitorium cibum , ſed ad animam ejus non pervenit verbum DEI.* Quam affectuum varietatem , virtutes Pſalmorum appellabat. Neque aptius potuiſſe eorum

(*d*) *in Pſalm.* 18. (*e*) *In præmio ennarrationis Pſalm.* 118. *In Pſalm.* 18. (*f*) *In Pſalm.* 30. *In ſermone de quadam pſallendi conſuetudine in die Epiphaniæ.*

Bb natu-

naturam definiri, ij omnes uno ore conſentient, qui ejus Sanctiſſimi Patris enarrationes ad populum habitas perluſtrabunt; in quibus hanc ipſi rationem propoſitam fuiſſe animadvertent, ut omnia ibi referret, quæ in alendo Chriſti grege, & ad vitam ſanctè pièque formandam opportuniora videbantur, nunc temporum vitia exagitando, modò diſciplinam morum ad æternam ſcripturæ Regulam retrahendo.

Minimè tamen ignoramus, recentioribus nonnullis uni literæ ſemper addictis, minùs probari ſenſus morales, & allegoricos, eoſque tamquam piorum hominum excogitationes in concionis argumentum effictas ab ijs repudiari; ſed hujuſmodi interpretandi modum minùs fortaſſe inſectarentur, ſi diligentiùs attenderent, veteres Eccleſiæ Patres, & quidem illos Epiſcopali præditos dignitate, quibus ſcilicèt erudiendæ plebis onus incumbebat, omnem curam, & operam maximè contuliſſe ad explicandam morum doctrinam Pſalmis comprehenſam;

Digitized by Google

henſium; & eò ſæpius illos in hoc argumento verſatos fuiſſe, quò frequentior erat Pſalmorum uſus, ſive publicus, ſive privatus. Nemo enim neſcit, qui antiquos Eccleſiæ ritus callet, plebem Chriſtianam in ſolemni divini ſacrificij celebratione, præeunte in Ambone Lectore, totos olim Pſalmos recitaſſe, qui cum inde faciliùs præ ceteris Scripturæ libris memoriæ mandarentur, ne nuda tantùm verba, quæ ad medenda animæ vulnera parùm profuiſſent, pſallentium mentibus inhærerent, modò ſenſus morales, modò allegorici ab Eccleſiaſticis tractatoribus expromebantur; ut Chriſti Fideles ea recolendo, quæ ſub veteri Lege in nube contigerant, apertè colligerent in nova, omnia jam pridem ſummâ DEI bonitate ad ſuam ipſorum doctrinam ſcripta fuiſſe.

Quantam verò vim haberent in Pſalmis enucleandis hujuſmodi ad populum enarrationes, cujus ſaluti unicè conſulebatur, etſi innumera, dum vobis hæc ſcribimus, occurrant exempla, minimè prætereundum eſt illud S. Fulgentij Ruſpenſis Epi-

 ſcopi,

ſcopi, adeò rei noſtræ conſonum, qui ( teſte Ferrando Diacono in ejus vita ) Beati Auguſtini exponentis triceſimum ſextum Pſalmum lectione commonitus, edere ſuum ſtatuit votum, & monaſticum inſtitutum amplexus, ſæculo renuntiavit.

Hæc tamen non ita accipi volumus, ut illâ explanandi ratione rejectâ, quam veteres Theologi hiſtoricam appellabant, & nos vulgò literalem vocamus, moralem alteram, & allegoricam medendis animarum vulneribus maximè accomodatam, tantùm adhibeamus: immò verò illud intelligendi genus prius aſſequi debemus, quod ab apertiore orationis argumento non recedit, & ſimplicem ac uſitatam verborum ſignificationem, & vim nobis exhihet; nam qui fieri poſſet, ut ad abditam in verbis ſapientiam penetraremus, niſi nobis vulgaris intelligendi ratio pateret? Ob hanc maximè cauſſam, ut rudioribus facilis aperiretur via ad Pſalmos, intelligendos, eoſque piè ſanctèque recitandos, breviſſimam explanationem, & quodammodo grammaticam exara-

exaravit immortalis memoriæ Vir Joſephus Maria Thomaſius, doctrinæ præſtantiâ, morum ſanctimoniâ, & auſteriſſimâ vivendi normâ clariſſimus, & ſpectatiſſimus, qui ſummo genere natus, adoleſcens adhuc, jure prioris ætatis abdicato, humaniſque rebus valere juſſis, Clericorum Regularium inſtitutum ſuſcepit, & totum ſe in veteres chartas, Sacraſque Literas abdens, ex uberrimis Patrum fontibus, & ex venerandæ Antiquitatis manuſcriptis codicibus, ſtudia, vigilias, elucubrationesque ſuas in proximi utilitatem, & in Eccleſiæ præſidium derivavit, donec tandem ob profundam, Chriſtianamque animi demiſſionem, ſibi uni inviſus, omnibus verò propter admirabilem incredibilium virtutum famam undequàque probatus, ſecundi Ordinis poſt Pontificem in Romana Eccleſia à Clemente XI. Presbyter renuntiatus, dignitatem, quam nonniſi indictâ contumaciæ pœnâ, invitus ſuſcepit, brevi menſium ſpatio, in perniciem ſæculi noſtri, cum beatiſſima morte commutavit,

quam

Digitized by Google

quam nos mortem omnibus bonis acerbam, & univerſæ Eccleſiæ luctuoſiſſimam quoties conſideramus (id autem fit ferè quotidiè) toties iram in nos DEI optimi maximi perhorreſcimus.

Hæc breviter perſtrinximus, ne cui veſtrûm mirum videatur poſt tot egregios ſummorum Virorum in Pſalterium labores, hanc nos vobis explanationem de meliori nota commendare: Thomaſius quippe in ſcientia Sanctorum optimè verſatus, idemque græcè, & hebraicè doctiſſimus, ne pſallentium mentibus, quas Spiritu Sancto impleri vehementer optabat, negotium faceſſerent tropi atque figuræ tum orationis, tum verborum, in eo totus incubuit, ut idiotismi, ſive proprietates peculiares linguæ Græcæ, vel Hebraicæ apertis, uſitatisque vocabulis, & locutionibus Latinis redderentur, & vis ſub Schemate vel Idiotismo latens, remotis involucris, ac integumentis, illicò conſpiceretur. In quo ſanè cum nullus ipſi brevis explanator occurreret, qui votis ſuis reſponderet, hoc ſolus abundè præſtitit

tit ſtylo ſimplici, & vel hebetioribus ingenijs accommodato, additis, ubi opus erat, hiſtoricis Veteris Teſtamenti narrationibus, ad quas ſæpè refertur intentio Pſalmiſtæ.

Hanc igitur vobis editionem, tanquam pignus amoris noſtri mittere decrevimus, non aliâ planè ratione, quàm quòd nobis vix quidquam magis conducere videatur optimæ Monachorum Inſtitutioni, qui nullo labore pſallendi intelligentiam ex hoc opere ſibi comparabunt; & præſto illis erit, undè difficultates, quibus impediri poſſunt, facilè expediant, quò demum flagrantiùs orent, & in opere DEI alacriùs perſeverent. Hæc literalis explanatio attentè percepta, & memoriæ diligenter commendata, inanes ſonos, & vacuas voces præterfluere non ſinet, ſed ipſorum cordibus illabens ſpiritus, qui habet omnem vocis ſcientiam, mirâ ſuavitate eos afficiet, ampliſſimos variorum ſenſuum ſinus aperiet, & abditos myſteriorum fontes reſerabit. Nam parùm prodeſſet,

Filij

Digitized by Google

Filij Cariſſimi, extorris populi juxta flumina Babylonis duriſſimas vices deflere, & antiquas ſedes repetentis lætitiam hymnis excipere, niſi tunc nobis imago ſuccurreret vitæ hujus longè amariſſimæ, in qua à patria cœleſti exulamus, & animo non perciperemus ingens illud æternumque gaudium nobis propoſitum, cum ad ejus feliciſſimos fines perveniemus. Parum Davidis patientiam, calamitates, pericula, gemitus, angores, & metus commemorare, ſi minùs vulnera noſtra ſanare poſſent quæ ille adhibuit remedia, & ſi, quod ipſe lacrymis, jejunijs, & precibus iter ad DEUM tam latè nobis aperuit, aliò converteremus. Fruſtra ejus Regnum licet hoſtium multitudine, ac potentiâ oppugnatum perpetuum fore profiteremur, niſi hanc Imperij æternitatem extenderemus ad Chriſtum, contra quem Reges terræ irrito ſremuerunt conatu, ne in illos dominaretur; & ſi excidium Templi, Divinæ Legis violatio, bonorum calamitates, & impio-

impiorum pax ac proſperitas terrent, & (quod maximè debent) nos commovent; quo tandem animo hæc tam occultiſſima DEI judicia excipiemus? Hærebimuſne tantùm Prophetæ dictis, qui populares ſuos inſolentiâ inimicorum laſſatos ac metu fractos, ad præſidium divinæ Providentiæ, quæ vindictam retribuit in tempore, nutantes erexit; nec oculos convertemus ad omnium ætatum peccatores, & impios quorum ſuperbia licet ſemper aſcendat, ſemper etiam, ita ipſorum exigentibus meritis malis, æternæ mortis pœnâ mulctabitur? Cum ergò tot tantiſque doctrinis liber Pſalmorum redundet, danda opera eſt, ut qui aſſidui in diurnis laudibus verſantur, habeant unde tantam affectuum ubertatem affluentiùs hauriant. Quod ipſis bene feliciterque eveniet, ſi communibus Congregationis veſtræ ſumptibus, & maximâ, quâ poterit diligentiâ, iterùm typis hæc nunquam ſatis laudata editio, & Pontificijs oraculis comprobata committatur; caveatiſque impoſterùm auctoritate veſtrâ, ut hujus exemplar ſingulis, qui



Digitized by Google

militiæ veſtræ dant nomen, ſuppeditetur, nec facilè ab eorum manibus illud excidere patiamini. Pluribus rem agere ſupervacaneum eſt, cum ad procurandam eorum utilitatem ardentes erectosque minimè hortatione noſtrâ vos indigere cognoſcamus, & ſponte veſtrâ alacrius effectum iri brevi confidimus, quod modò, ne ut muneris noſtri Apoſtolici minùs memores aliquando apud Deum poſtulemur, paternè vobis ſuademus.

Ceterùm, ut egregiæ Venerabilis Thomaſij voluntati, nobis pro benevolo, quo ſemper fuit in nos animo, jampridem bene perſpectæ, morem geramus, in lucem iterùm producendam exiſtimavimus inſignem commentationem, & inventu difficillimam, quam de rectè inſtituendis Theologicis ſtudijs publico bono conſcripſit, & quâ vir doctiſſimus jam penè intermortuam in quorundam animis, & ab antiquorum ſemitis inclinatam veram hujuſmodi ſtudiorum rationem excitare curavit, graviſſimo Joſephi veſtri Cardinalis de Aguirre teſtimonio confirmatus, quem cum, manibus,

nibus, pedibusque, in eandem ire ſententiam lætus non ſemel audiſſet, & alio ſe prorsùs modo, ſi repueraſceret, ſtudia inſtituturum, in animum induxit ſuum literis mandare, quæ in evolvendis diurnâ nocturnâque manu Veterum Patrum ſcriptis diù animo agitaverat, & aſſiduâ meditatione complexus erat, & quâ erat præditus humilitate, cum ipſe præ ceteris tanto operi, quod deſignaverat, planè ſufficeret, alterum Ordinis veſtri lumen Joannem Mabillonium, qui cum arcta ipſi intercedebat morum atque ſtudiorum conjunctio, obſecravit, ut illud abſolveret, quod tamen Mabillonius, in conſcribendis Annalibus tunc temporis occupatiſſimus, præſtare non potuit, quamquam nos (Pariſijs per eam tempeſtatem agentes) magnos ipſi ſtimulos addere non prætermiſimus. Thomaſius tamen animum non abjecit, ſed dies noctesque Eccleſiæ commodis excubans, manum ipſe operi admovit; at vix tertio volumine vulgato, eum dignitatis, ad quam fuerat evectus, publica munera illud intermittere coege-

runt; cujus quidem nullum inde fructum capere potuiſſemus, niſi (edito prius hoc ſpecimine, quod vobis dono mittimus) ad aſſequendum totius operis propoſitum facilem nobis viam pateſeciſſet: immò ne hoc loco reticeamus, quæ ipſi in hujuſmodi ſtudijs rectè inchoandis mens erat, Cardinalis Hadriani opuſculum de vera Philoſophia ex quatuor Eccleſiæ Doctoribus conſcriptum impensè laudabat, quod ſi à pulvere, ſituque multo, ubi temporum iniquitate modò jacet, aliquando (quod maximè optabat) in lucem revocaretur, ſperabat fore ut eſſet tutus quidam veluti aditus ad Theologiæ ſacrarium, fonteſque ceteros Divinarum Literarum penitiſſimos recludendos; id quod omnes facilè intelligent, qui Thomaſij conſilio adducti, hunc libellum planè egregium ad uſus ſuos adjungent. In eo quippe Auctor ex puriſſimis illis ſummorum virorum commentarijs mirâ quâdam ſolertiâ depromptis, & connexis inter ſe, aptatiſque ſententiis nobis perſpicuè conſtituit, quænam ſit vera, & princeps Philo-

Philoſophia, quinam humanæ rationis fines, quæ leges, & qui tandem Chriſtianorum diſcendi, & ſtudendi modus; quod utinam iter aggrederentur ij omnes, qui effictis ad ingenij libidinem quæſtionibus, *Eccleſiaſticam ſimplicitatem* (ut S. Hieronimi verbis utamur) *inter Philoſophorum ſpineta concludunt.*

Date interim operam, Filij Cariſſimi, ut qui ſæculo abdicato, curæ veſtræ informandos ſe tradunt, optimis inſtituantur diſciplinis, quarum ſummam fruſtrà alibi quærent, quàm in addiſcenda divinæ Legis ſcientia, ad quam toti ſe debent referre: tunc obſtruentur ora loquentium iniqua, & palàm traducentium eos, quos per ſummam injuriam, ideò putant mundo valedixiſſe, ut ab omnium oculis remoti, & in Monaſteriorum angulis delitescentes, faciliùs indulgeant otio, & torpori. Satis exemplorum vobis præbuerunt præclariſſima à Majoribus veſtris rerum geſtarum monumenta, quorum memoria tunc nobis repetenda foret, cùm laudatiſſimi mores veſtri eorum ſan-

ſtimoniam minùs exprimerent. Sed de veſtra pietate confidimus, ut quidquid magnum, quidquid amplum ad Monaſticæ diſciplinæ incrementum conferre poterit, id à vobis pari animi magnitudine repræſentabitur. Scitis, Eccleſiam DEI ſibi ſemper viros fortes, & metu vacuos propoſciſſe, quorum ope magis indigere in hoc indulgentiſſimo ſæculo nemo non videt; cùm univerſum terrarum orbem adeò publica iniquitas pervaſerit, ut Chriſti oraculis moniti, multorum charitate refrigeſcente ex omnibus mundi plagis jam ſpectare poſſimus adventantem diem iræ, quem nimiùm diù patiens DEUS in ſinu miſericordiæ continuit. Levate ergò capita veſtra, intendite oculos in legem digito Dei vobis præſcriptam; & liceat vobis, dum Epiſtolam abſolvimus, commemorare noviſſima verba ſanctiſſimi Patris veſtri, qui in antiquorum exemplis totâ mente defixus, aliquid de veteris diſciplinæ rigore ſibi remiſiſſe videbatur, quum ſuis, poſteriſque eorum (g) *nihil aſperum, &*

(g) *In Prolog. Regulæ.*

*nihil*

*nihil grave* conſtituebat; nam Patrum collationes, vitam, & Inſtituta animo repetens, ita conſcribendæ Regulæ finem faciens teſtatus eſt. *Nobis deſidioſis, & male viventibus atq; negligentibus rubor confuſionis eſt.*

Hæc ſi pro pietate veſtra, quam dignis laudibus nunquam ſatis commendabimus, accuratiùs conſideraveritis; id evincetis, ut quemadmodùm ſapientiſſimum Legislatorem ad convellendam diſcipulorum deſidiam, & acuendos, inflammandosque eorum animos impulit admirabilis antiquorum auſteritas, ſic vos moveat ad aſſerenda Regulæ jura nimía recentiorum quorumdam indulgentia. Quod faciliùs etiam præſtabitis, ſi in eam ſtatim cogitationem vos adduxeritis, mirum nempè & incredibile videri, deſidiæ notam illis eo tempore inuſtam fuiſſe, qui ne à recto tramite deflecterent, pro virili contendentes, arcta jejunia, longa ſilentia, & noctes pœnè inſomnes ducebant; quum, ætate noſtrâ, tot ſimulationum involucris humanæ naturæ imbecillitatem pretexendo, id unum fortaſſe à multis

multis efficitur ( quod dictu horrendum eſt ) ut, Majorum exemplis æternâ nocte ſepultis, *hac minima inchoationis* ( *b* ) *Regula* absque ullo confuſionis rubore negligatur.

Opto Vos, Filij Cariſſimi, ſemper in Domino proficere, bene valere, & noſtri meminiſſe in orationibus veſtris. Datum Altorffij Helvetiorum, Idibus Auguſti M. DCC. XXVII.

( *b* ) *Regul. Cap. ult.*

INDI-

Digitized by Google

# INDICULUS INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM

## VETERUM PATRUM

*Venerabilis*

JOSEPHI MARIÆ THOMASII, CLERICI REGULARIS, *poſteà* S.R.E. CARDINALIS.

*Cariſſimo, & ſinceriſſimo, ac obſequendo Fratri*

JOANNI MABILLONIO, ORDINIS S. BENEDICTI, è CONGREG. S. MAURI.

Joſephus Maria Thomaſius Presbyter Congr. Clericorum Regular. ſalutem in Domino.

A*Micorum munera non ex pretio rerum, ſed ex animi voluntate ſunt æſtimanda; quare non vereor ne munuſculum hoc meum, rudem ſcilicet*

 deli-

Digitized by Google

*delineationem Inſtitutionum Theologicarum veterum Patrum, aſperneris, & reſpuas: cùm id ex magna benevolentia, quam habeo ergà te, proficiſcatur. Amicè amicum muneror, ſed quia tenuiſſimus in re literaria locupletiſſimum; idcircò jure amicitiæ munus hoc à te repoſco cum fœnore, quod tum mihi reddes; cum id ipſum ruditate detersá expoliveris, auxeris, perfeceris. Quòd ſi judicium quoque meum probaveris de novi operis utilitate, quod hoc Indiculo tantummodò indicavi; quam tibi gratiam habebit Eccleſia, nedùm ego, ſi operâ tuâ id effeceris, ut per tua Congregationis Monachos doctiſſimos, Patrumque amantiſſimos id operis efficiatur! Certè niſi via aliqua excogitetur, quâ à prima juventute Eccleſiaſtici inſtituantur in lingua, & doctrina Patrum per magiſtrorum prælectiones, & explicationes, propriumque laborem, & ſtudium; difficillimum erit (ut experientia non ſine proborum dolore demonſtrat) poſt exactam bonam ætatem in ſolis Recentiorum commentarijs, tum primùm adire Patres, cùm exhauriri cæperint vires ingenii; cùm varijs jam curis, & occupationibus ab illis divellantur, ac diſtrahantur; & nulla penè ſpes remaneat conciliationis*

*ctationis animorum cum Patribus, præter nudam reverentiam exhibitam è longinquo. Memini me dicere Em. Cardinali de Aguirre piæ memor. ſi repueraſcerem, alio me prorsùs modo mea ſtudia inſtituturum; mihique optimum Cardinalem candidè reſpondere, ſe quoque rem menti meæ conſimilem facturum. Hæc ſunt, quæ commemoranda duxi prudentiæ tuæ. Reliquum eſt, ut opus, quod ego paucis verbis adumbravi, tu facias, atque efficias ut inſtituatur, & conficiatur. Vale, meque Chriſtiano amore dilige, mei memor in orationibus tuis ad DEUM. Anno M. D C C I. ante X I V. Kalend. Decembris. Romæ.*

NON immeritò quiſpiam admirabitur cur poſt complura edita Theologiæ ſummaria, quibus in ſacra doctrina vel inſtituantur juvenes, vel provectiores ætate in memoriam revocent compendio temporis quæ longo olim tempore didicerunt; nemo hactenùs curarit ſeligere & in unum veluti corpus redigere præclara hujus generis opuſcula Veterum Patrum; quæ ſummatim

comprehendunt præcipua ſacræ Doctrinæ capita, quibus profectò opuſculis nihil magnificentius de rebus altiſſimis, quantum poteſt captus hominum divinâ irradiante luce; nihil pro chriſtiana modeſtia temperatius de ineffabilibus myſterijs, quæ vix licet homini loqui; nihilque accommodatius ad inflammandam pietatem, & amorem in DEUM, in poſterioris ævi ſcriptis nunc uſque comparuit. Sed tametſi illa recentiora exacuendis, armandisque ingenijs ad diſceptationes, conflictationesque Scholarum ſint idonea; ſuamque utilitatem habeant, ſi ſobriè & piè ex locis Theologicis materias tractent, ac bonâ methodo digerant: ut plerique ex Scholaſticis fecerunt eruditiſſimi viri: antiqua tamen opuſcula Patrum ad gravitatem, ſanctimoniamque divinarum rerum, quibus imbuendus eſt animus Chriſtianus, longè ſunt aptiora. Hæc non perſtrepentis torrentis inſtar grandi impetu arentes agros non tam fœcundantis, quàm ſternentis; ſed velut (a) *aquæ Siloë, quæ vadunt cum ſilentio*, quò leniùs decur-

(a) *Iſaiæ VIII. verſ. 6.*

runt,

runt, eò profundiùs perfundunt, uberiuſque fœcundant hominum mentes. Eam enim dicendi rationem, modumque tenent, qualis cœleſtem decet ſapientiam: (*b*) *Quæ autem deſurſùm eſt ſapientia, primùm quidem pudica eſt, deindè pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens, plena miſericordiâ, & fructibus bonis, non judicans, ſine ſimulatione.*

Et certè modum dicendi ſi ſpectes planum, & ut ita dicam, narrativum, quem Patres in ſuis adhibuere libris ſine ratiunculis, pugniſque verborum, ſine contortulis, & minutis concluſiunculis, & (ut cum Tullio loquar) ſine ſpinis diſſerendi, partiendi, atque definiendi juxtà præcepta diſſerendi, quæ & Ariſtoteles plurima tradidit, & poſteà qui Dialectici dicuntur, ſpinoſiora multa pepererunt: is ſanè modus æquè facillimus, atque utiliſſimus eſt, in tradendis diſciplinis: quem neque Noſtrates tantummodò, ſed ipſi etiam exteræ ſapientiæ homines, magiſtrique dialecticæ artis in ſuis quoque ſcriptis ſervavere: ſic Plato, ſic Ariſtoteles, ſic Cicero, totusque

(*b*) *Jacobi III. verſ.* 17.

Philo-

Philoſophorum cœtus tum Græcorum, tum Latinorum ſcripſerunt. Ut enim vera ſapientia non tam in verbis, quàm in rerum intelligentia, & contemplatione ſita eſt: ita ſedatum ſerenumque animum, ceu purgatum oculum, nec contentionum fumo obtenebratum poſtulat. Hoc namque modo blandiùs ſeſe ingerit veritas, tenaciùſque adhæreſçit, ad intimas uſque medullas pervadit, totamque ad ſe vocat aciem mentis; ſecùs ac accidit in litigioſis diſputationibus, & tricis: ubi divulſis animi viribus, dum pugiles acriùs arma conſiderant, quibus pugnant, vel impugnantur, ſuaque exacuunt, & aliena propulſant; rem ipſam, quam propugnant turbidâ jam mente tantùm non obliviſcuntur. Sic etiam, qui in vepribus, & dumetis flores legunt, & roſas, cùm ſpinas nè pungantur cavent attentiùs, ſuavitatem odorum, qui afflantur è floribus, quâ ſeſe oblectent, & recreent, minùs ſolliciti curant.

Præter hunc antiquum differendi ſtylum, prætereà ſi tibi obverſetur ante oculos Auctorum digni-

dignitas, & auctoritas, qui hæc opuſcula condiderunt, tantùm illi recentioribus ſcriptoribus præſtant, quantùm Patres filijs, Magiſtri diſcipulis; (c) *Non eſt enim diſcipulus ſuper Magiſtrum.* Ut proptereà ſummis ſit votis optandum (d) *ut convertatur cor Patrum ad filios, & cor filiorum ad Patres eorum*, per quos, veluti per intermedios canales, Apoſtolicarum ad nos traditionum fluenta manant: eorumque unanimi conſenſu divina dogmata diſcimus, quæ Apoſtoli ore docuerunt (e) *conteſtante DEO ſignis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritûs Sancti diſtributionibus ſecundùm ſuam voluntatem.*

Itaque ſi qui viri pij, doctique collecta undique iſtiuſmodi opuſcula Patrum ſimul ederent; & ad informanda legentium judicia brevibus in inferiore margine libri notationibus paulò abſtruſiora explicarent, quemadmodum SS. Thomas, & Bonaventura brevibus explanationibus illuſtrarunt

(c) *Matth. X. verſ.* 24. (d) *Malach. IV. verſ.* 5. (e) *Habr.* 11. *verſ.* 4.

Textum

Textum Magiſtri Sententiarum ; indicatis quoque poſterioribus Eccleſiæ definitionibus, ubi id fieri poſtulat regula Fidei ; ac copioſo demùm indice non ordine alphabetico, ſed filo doctrinæ per varia, ſed connexa quæſtionum genera ducto, ad methodum Summæ S. Thomæ ; quò promptiùs in quavis propoſita quæſtione inveniatur quod quæritur : hi certè operam darent egregiam publicæ ſtudioſorum doctrinarum Theologicarum utilitati, ſive in Seminariis, & Collegiis, ſive in privatis domibus Clericorum, ut haberent ſenes cum junioribus, quod diurnâ, nocturnâque manu maximo totius Eccleſiæ bono verſarent ad extremam uſque ſenectam.

Interim ut primoribus labris aliquid guſtent ſtudioſi ex hoc genere doctrinæ, expono indiculum hunc ante complures annos privato uſui meo confectum, nunc verò expolitum, Opuſculorum Veterum Patrum ; quæ univerſam fermè complectuntur Theologiam theoreticam, & practicam. Qua in re imitatus Theodoretum Epiſcopum Cyri, qui ſimul junxit Hæreticarum fabularum

larum compendium, & Epitomen divinorum Decretorum; libellos utriuſque generis ſelegi, & qui ſacra noſtræ Religionis dogmata docent; & qui adverſos, pugnanteſque hæreticorum errores detegunt; ſic enim fiet, ut monſtroſis figmentis hominum viſis, divinæ pulchritudo veritatis refulgeat magis, vitatiſque ab hac parte gurgitibus, & voraginibus, illinc rupibus, & præcipitiis, Spiritu nos Sancto ducente manu Eccleſiæ matris noſtræ, rectè ducamur in omnem veritatem.

Cæterùm quò utilior lecturis ſcripta Veterum Patrum noſter hic prodeat Indiculus, non alienum duxi, aliquas ex multis, quæ afferri poſſent, hoc loco præmittere monitiones, quæ maximè conducunt rectæ intelligentiæ Patrum, ut paratior ſit animus legendis.

I. Solent Patres uſurpare vocabula, modosque loquendi in ea ſæpiſſimè ſignificatione verborum, quæ in divinis Literis habetur. Exempli cauſa, *Eutrapeliam* Ariſtoteles quidem inter virtu-



Digitized by Google

tes collocat, ſed Apoſtolus inter vitia; (*f*) quod enim Latinus interpres dixit *Scurrilitatem*; Græcus ſermo, quo ſcribebat Apoſtolus, habet *Eutrapeliam*. Horum utrum ſequerentur Patres in hujus vocis uſu, Philoſophum ne? an Apoſtolum? Certè qui in Scripturis ſanctis inſtituti erant, quum ad populum verba facerent aſſuetum non ſcholæ Athenienſi Philoſophorum, ſed Hieroſolymitanæ ſcholæ Apoſtolorum, aliter non intellexerunt hoc vocabulum, quàm quomodo intellexit Apoſtolus; nec velut ambiguum explanaverunt, ſed abſolutè damnarunt. Lege S. Joan. Chryſoſtomum homil. 6. in Matthæum in parte morali, & in Epiſtolam ad Epheſios, & Theodoretum in eamdem Epiſtolam Græcè, prout ipſi ſcripſerunt.

II. Cùm ſcirent Patres cum Apoſtolo ſeſe debitores eſſe ſapientibus & inſipientibus, ſcriberentque non ad inanis gloriolæ auras aucupandas, eo de Religione ſtylo diſſerebant, ut à doctis pariter, & ab indoctis intelligerentur. Quare

(*f*) *Epheſ. V I.*

voca-

vocabula, modoſque loquendi ex communi uſu, popularique ſermone deſumebant; popularibus que patinis divini verbi cibum dabant tempore opportuno. Id quod valdè notandum eſt in lectione Patrum: in qua fortaſſis non nemo hodiè offenditur iis, quæ antiquitùs inoffenſis auribus à Chriſtiana plebe audiebantur: tunc nimirùm, quando vocabula Patrum ad Ariſtotelis officinam non deferebantur ponderanda quanti valerent. Exempli gratia, utuntur aliquando Patres vocabulo *Neceſſitatis* in rebus, quæ ex libero fiunt arbitrio: hâc adhibitâ regulâ, nihil offenſionis accidit: cùm vulgus, populariſque ſermo dicat damnans ſimul, & aliquo pacto excuſans: pauper hic neceſſitate compulſus furatus eſt, quia fame laborabat. Ad hunc modum loquitur S. Iſidorus Hiſpalenſis Epiſcopus lib. II. Sententiarum cap. 22. ſub hoc titulo: *De peccandi neceſſitate.* Præterea SS. Baſilius, & Joannes Chryſoſtomus, Liturgiæ, & Eccleſiaſtica officia Græcorum & Orientalium diſcrimen ponunt inter voluntaria peccata, atque involuntaria: id quod nemo mirabitur, quaſi

homo non ſuâ ſponte, & voluntate; ſed verâ, & quaſi fatali neceſſitate culpam aliquando committat. Loquuntur ſiquidem Patres, & Eccleſiaſticorum officiorum authores abſolutè conſuetudine vulgi; ſed ex contextu, pluribuſque locis collatis apparet, ab illis peccata involuntaria appellari, quæ à Scholaſticis, adhibitis pauçis voculis dicuntur: *Voluntaria ſimpliciter*, & *involuntaria ſecundùm quid*, ſive nitidiùs, *aliquâ ratione involuntaria*: nimirùm quæ vel dolore, vel terrore premente ab homine fiunt. Sic S. Joan. Chryſoſtomus hom. 6. in Matthæum, negationem Chriſti peccatum appellat involuntarium; quia terrore, vel dolore cruciatuum extorqueri ſolet ab hoſtibus fidei Chriſtianæ. Qua in re benè conveniunt Patres cum filijs, magiſtri cum diſcipulis. Hæc & alia complura locutionum terricula nemo non dicet, niſi qui puer eſt, qui ſapientiam Antiquorum non exquiſivit, qui linguam Patrum non didicit: qui ſi in eorum congreſſionem, & longam familiaritatem ſeſe dederit, & eorundem linguam intelliget, & vera ſenſa tenebit. Ex hac ani-

Digitized by Google

animadverſione ultrò ſe offert ratio, quamobrem Theologica ſcripta Patrum in omnium olim manibus haberentur, & haud magnâ difficultate intelligerentur à quovis, dummodo inferiora rudimenta liberalium artium didiciſſet, & ſano, prudentique judicio præditus eſſet: cum recentiora è contrà ſcripta Scholaſticorum, viri cæteroqui ſani judicij, prudentes, doctique in Eccleſiaſtica hiſtoria, ſanctisque Concilijs, & Canonici Juris Profeſſores, nec primoribus labris guſtent, nec extremis digitis attingant; ſed ſoli Scholaſtici legant, ſolique Scholaſtici, ſi tamen omnes, intelligant; immò ſi ipſimet acutarum quæſtionum authores, quæ argutiſſimè tractant, intelligant, ut feſtivè dicebat Theologus eximius Melchior Canus. (*g*) Certè hic non aliam video rationem, quàm quòd aliuſmodi ſit ſtylus Patrum ac Scholaſticorum: ille planus aptatus ad omnes, hic ſubtilitatibus, acuminibus, & tricis refertus, reſervatus ad paucos.

(*g*) *De locis Theolog. l. IX. cap.* 7.

III. Quo-

III. Quoniam popularis uſus aliquando caret vocibus, ac locutionibus, quæ aliòqui neceſſariæ ſunt ad tractationem ſcientiarum, & diſciplinarum: hinc cùm neceſſe haberent Patres iſtiuſmodi locutiones uſurpare, quas ex vulgi conſuetudine expromere non poſſent; tum utebantur formulis dicendi, quæ Platonicis maximè uſu veniebant. Quæ enim illi à juventute in diſciplina Platonica, quæ tunc temporis florebat, imbiberant; haud ægrè cùm opus eſſet, erumpebant in ætate matura. Porrò cùm impræſentiarùm jaceant inſtituta Platonica, & Ariſtotelem cuncta reſonent gymnaſia: quid mirum ſi minùs intelligantur quandoque Patres; ſi quæ illi didicerunt, plerique omnes ignorant? Animadvertit hoc alicubi S. Thomas, cùm locum quemdam S. Auguſtini explicans, illum dicit locutum fuiſſe more Platonicorum. Certè phraſis illa, quam beatus Auguſtinus, & non nemo Græcorum Patrum uſurpant, creaturam ſcilicet rationalem eſſe, v. g. ſapientem, juſtam, ſanctam &c. *participatione*; hæc, inquam, phraſis tota Platonica eſt. Quâ quid Plato intelligeret, vide

vide apud Proclum lib. 2. comment. in illius Timæum. Ex quo diſcimus Patres ex uſu Platonis dixiſſe creaturam eſſe *participatione* ſapientem, juſtam, ſanctam &c. quia non ex propria ſubſtantia, vel ex ſe ipſa habet ſapientiam, juſtitiam, ſanctitatem &c. ſed à Deo, qui per ſe ſapiens eſt, juſtus & ſanctus, ſive, qui eſt ipſamet primaria ſapientia, juſtitia, & ſanctitas, & fons omnis ſapientiæ, juſtitiæ, atque ſanctitatis. Ob eam cauſam multò præſtaret adoleſcentibus aggreſſuris ſuo tempore ſolidæ Theologiæ ſtudia, primis lineamentis, ac rudimentis Philoſophiæ Platonicæ informare animos ex Alcinoi ſaltem ad Platonis doctrinam Inſtitutione, vel alio quopiam Platonico; ut ne imparati inveniantur, quum aliquid occurrerit Platonicum in libris veterum Patrum.

IV. Ante pleniorem alicujus dogmatis diſcuſſionem, & Judicium Eccleſiæ, ad quam, tamquam ad Judicem, pertinet definire controverſias de Fide, & moribus Chriſtianis, aliter quandoque

que aliqui ex Patribus ſenſerunt, quàm veritas poſtulat. Ad quam rem demonſtrandam vel unicus ſufficit Auguſtinus glorioſiſſimus triumphator inimicorum gratiæ Chriſti: qui ad exordium uſque ſui Epiſcopatûs in ea fuit ſententia, quam poſteà, re diligentiùs perpensâ, in Semipelagianis ſummâ vi, & ſapientiâ damnavit.

V. Cùm locum aliquem vel Scripturæ, vel Dogmatum Patres verſant, ſæpe illum tanto apparatu, tantâque copiâ dicendi premunt, atque urgent; ut aliquantulùm deflectere videantur de alijs Dogmatibus & Virtutibus. Agnoverunt & hoc ipſimet Patres: qui propterea Apologias pro ſe ipſis ſcripſerunt. Sed & iſtud non eſt negotium magnum, ſi plura ſimul conferantur loca ejuſdem Patris; ex quibus planè conſtabit, ſic unum adſtrui, ut aliud non deſtruatur. Ita quoque uſu venit in dies: ſi concionatorem hodiè audieris de miſericordia Dei verba habentem ad populum,

pulum, fortaſſe illum diceres oblitum terribilis juſtitiæ DEI; cujus juſtitiæ ſeveritatem ſi craſtino die idem ille pertractaverit, rursùm illum putares immemorem pridiani ſermonis. Quid igitur? Utrumque junge ſermonem, & ex duobus uno conflato, cum Pſalmiſta dices ad DEUM. (g) *Miſericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.*

Ex pluribus amplioribusque obſervationibus haſce tantulas excerpſiſſe ſufficiat, quas mihi nunc memoria ſuggerit ex quantulacumque lectione Patrum. Digitum tantùm intendi ad id genus animadverſionum; relinquens viris doctis in regno cœlorum, ut proferant de theſauro ſuo novas de veteribus ſcriptis monitiones ſuas. Unum reſtat, de quo moneatur qui lecturus eſt Patres; ut ſcilicet id faciat, depoſitis præjudicatis opinionibus privatarum Scholarum, atque factionum; idque ſolùm attentiſſimè

(g) *Pſalm.* 100.

mè quærat, ut vera ſenſa Patrum aſſequatur, eo modo, quo Scyta, Perſa, vel Indus, qui Scholarum noſtrarum privata diſſidia non noverunt, Patres legerent animo ſimplici, nulli partium ſtudio addicti. Itaque nullius ſit partis, cui ad ponderanda dicta Patrum non minimam partem tenet ſententia ipſa Patrum.

INDICULUS

Digitized by Google

# INDICULUS INSTITUTIONUM THEOLOGICARUM VETERUM PATRUM

*QUÆ APERTE, ET BREVITER EXPONUNT THEOLOGIAM SIVE THEORETICAM, VULGO SPECULATIVAM, SIVE PRACTICAM.*

## S. Cæcilii Cypriani Epiſcopi Carthaginenſis, qui martyrio coronatus eſt anno 258.

TEſtimoniorum ad Quirinum Liber Tertius. *Pertinet ad mores. Extat inter opera ejuſdem Sancti in antiquis, & recentioribus editionibus.*

## S. Baſilii Magni Epiſcopi Ceſareæ in Cappadocia, qui obiit anno 378.

1. Ethica, *hoc eſt*, Moralia. *Sunt in tomo* II. *Græco Latino ejuſdem Sancti editionis Pariſienſis* 1618.

2. Regulæ breviores expoſitæ per interrogationem, & reſponſionem. *Pertinent etiam ad mores, & extant ibid. Has unà cum Regulis fuſiùs diſputatis in Gallicam linguam vertit, & eruditis notis locupletavit vir Cl. Godefridus Hermannus Doctor Sorbonicus.*

## S. Gregorii Nazianzeni, cognomento Theologi, Epiſcopi primùm Saſimorum in Cappadocia tum Conſtantinopolis, qui obiit anno 389.

1. Oratio XXVI. de moderatione in diſputationibus ſervanda; & quòd non ſit cujusvis hominis, nec cujuſvis temporis, de DEO diſputare. *Hæc oratio ob eximiam pietatem, ſapientiam, atque prudentiam lectione, & conſideratione, ac tanto Doctore digniſſima eſt: ubi etiam de Ethnicis Philoſophis,*

&

*& Dialecticis agit*; qui velut Ægyptiacæ quædam plagæ (*ſunt S. Doctoris verba ex Græcis Latina*) malè irrepſerunt in Eccleſiam noſtram. *Quæ oratio merito, & jure ad Prologomena Theologica referenda eſt.*

2. Orationes quinque de Theologia, *hoc eſt*, XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. *&* XXXVII. *Quarum prima qualem eſſe Theologicæ rei profeſſorem oporteat, docet; reliquæ quatuor ſolùm tractant de ineffabili myſterio SS. Trinitatis.*

*Continentur hæ Orationes tomo I. operum ejuſdem S. Gregorij, Græcè, & Latinè editorum Pariſiis anno* 1609.

## S. Epiphanii Epiſcopi Salaminæ, ſeu Conſtantiæ in Cypro, qui obiit anno 403.

1. Expoſitio Fidei Catholicæ, *quæ incipit*: At ſingularis illa columba, ſanctaque Virgo DEUM confitetur. *Eſt in fine panarii pag.* 1095. *tomi I. operum ejuſdem, editorum Græcè, & Latinè Pariſijs anno*

Digitized by Google

*anno 1622. à Dionyſio Petavio, viro doctiſſimo: qui optimè de Patrum eſt Theologia meritus grandi illo opere Dogmatum Theologicorum.*

2. Anacephalæoſis, ſive eorum, quæ in panario adversùs LXXX. Hæreſes dicta ſunt, ſumma comprehenſio. *In tomo* II. *ſuperioris editionis.*

## S. Aurelij Auguſtini Epiſcopi Hipponenſis, qui obiit anno 430.

1. Liber de catechizandis rudibus, *à capite* XVI *ad finem uſque: ubi duæ formulæ orationis Catechiſtæ ponuntur, altera prolixior, brevior altera. In tomo* VI. *operum ejuſdem Sancti poſtremæ editionis Pariſienſis Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri.*

2. ENCHIRIDIUM ad Laurentium: *quod eſt totius fermè Theologiæ Breviarium. In eodem tomo* VI. *& in tomo* I. *opuſculorum S. Auguſtini, editorum Venetiis 1547. à M. Auguſtino Soſteneo Fregoſo cum utilibus citationibus marginalibus conſimilium dictorum ejuſdem Sancti Doctoris, quæ diſpersè aliis libris dicit.*

3. Libri

3. Libri de Civitate DEI, *nimirum* XI. XII. XIII. XIV. XIX. XX. XXI. *&* XXII. *in tomo* VII. *ut ſupra, & in tomo* V. *editionis Antuerpienſis anno* 1577. *cum commentariis Joannis Ludovici Vivis caſtigatis ex cenſura Facultatis Theologicæ Lovanienſis.*

4. Liber de Agone Chriſtiano, fratribus in eloquio Latino ineruditis humili ſermone conſcriptus, Fidei Regulam continens, & præcepta vivendi. *Ita de hoc ſuo libro loquitur S. Auguſtinus lib.* II. *Retract. cap.* 3. *In tomo* VI. *noviſſimæ editionis, &* I. *opuſculorum Venetorum* 1547. *cum citationibus marginalibus aliorum locorum ejusdem S. Doctoris.*

5. Liber de Hæreſibus ad Quodvultdeum. *In tomo* VIII. *operum, & in* I. *opuſculorum Venetorum* 1547. *cum marginalibus notationibus, & citationibus aliorum locorum ejuſdem S. Doctoris.*

## S. Vincentii Presbyteri, & Monachi Lirinenſis, qui obijt Theodoſio, & Valentiniano regnantibus, quorum prior mortuus eſt anno 450.

Commonitorium adverſus hæreticos. *Opuſculum*

*lum aureum, quod tanquam generale Prolegomenon poteſt haberi à Studioſis ſacræ Theologiæ. In tomo* VII. *Bibliothecæ noviſſimæ Lugdunenſis, & alibi ſæpe recuſum.*

## Theodoreti Epiſcopi Cyri in Syria, qui interfuit Concilio Calchedonenſi, & obijt ſub Leone Seniore Auguſto: qui Leo mortuus eſt anno 473.

1. Hæreticarum fabularum libri quatuor.
2. Epitome Divinorum Decretorum, qui eſt liber quintus. *Hi libri continentur tomo* IV. *operum Theodoreti, Græcè, & Latinè editorum Pariſiis* 1642. *curante Jacobo Sirmondo.*

## Gennadii Presbyteri Maſſilienſis, qui vixit ſub S. Gelaſio Papa: qui Gelaſius mortuus eſt anno 496.

De Eccleſiaſticis Dogmatibus, *ſive* De Definitionibus Orthodoxæ Fidei. *Extat cum neceſſaria additione complurium Capitulorum in appendice tomi* II. *operum S. Auguſtini editionis Antuerpenſis* 1577. *& in tomo*

*tomo* I. *opuſculorum S. Auguſtini editionis Venetæ* 1547. *cum citationibus marginalibus plurium locorum S. Auguſtini ; & in appendice Tomi VIII. S. Auguſtini Monachorum Benedictinorum Congregationis S. Mauri ſine additionibus , ſed cum eruditiſſima Admonitione.*

## S. Fulgentii Epiſcopi Ruſpæ in Africa, qui obiit anno 529.

Liber de Fide ad Petrum , *ſive* de Regula veræ Fidei. *Extat in appendice tomi* VI. *operum Sancti Auguſtini , & in* I. *tomo opuſculorum S. Auguſtini Venetæ editionis* 1547. *cum citationibus marginalibus complurium locorum S. Doctoris.*

## S. Iſidori Epiſcopi Hiſpalenſis, qui obiit anno 636.

IV. Libri Sententiarum , *ſive* De ſummo bono. *Pertinent ad utramque Theologiam , maximèque ad practicam ; qui bona ex parte excerpti ſunt ex libris moralibus S. Gregorij Papæ. Extant inter opera ejuſdem S. Iſidori , & ſeparatim editi à Gaſpare Loayſa.*

*Ejuſdem Sancti Iſidori* Originum Libri VI. VII. & VIII.

## S. Johannis Damaſceni Presbyteri, & Monachi, qui obiit circa annum 780.

1. DE FIDE ORTHODOXA Libri quatuor. *Extant Græcè editi Veronæ* 1531. *& Latinè cum commentariis Jodoci Clichtovei Pariſienſis Theologi inter opera ejuſdem Sancti Johannis edita Pariſiis* 1619.

2. Parallelorum libri tres. *Ad utramque Theologiam ſpectant. Extant Latinè tantùm inter citata opera editionis Pariſienſis.*

3. Liber de Hæreſibus. *Præſertim pars illa, quæ incipit à Neſtoriahis, quæ propria eſt S. Joannis Damaſceni. Extant inter opera ejuſdem, & Græcè in tomo I. Monumentorum Eccleſiæ Græcæ viri doctiſſimi Cotelerij, & in nova editione P. Michaelis Lequienij.*

## B. Rabani Mauri Archiep. Moguntini, qui obiit A. D. 856.

De Univerſo libri II. IV. & V. *Extant in tomo* I. *operum ejuſdem Coloniæ* 1626.

In

In primo Tomo harum Inſtitutionùm Theologicarum, tanquam earundem apparatus prævius, poni debent, liber de præſcriptionibus *Tertulliani*; orationes Græce, & Latine XXVI. & XXXIII. *S. Gregorij Nazianzeni*, & Commonitorium *Vincentij Lirinenſis*.



Digitized by Google

# DECRETUM
## NE SACERDOTES
### PULVERE CYPRIO
### ASPERSI ACCEDANT
### AD ALTARE.

CUm nobis non ſine graviſſimo animi noſtri ſenſu innotuerit: Sacerdotes aliquos, adeò ab iis, quibus Sacramento tenentur legibus, aberrare, ut ad Altare Domini Sacratiſſima Myſteria celebraturi, capillis pulvere Cyprio indecentiſſimè albicantibus accedere non erubeſcant; quod & Eccleſiaſtico Ordini dedecori & Secularibus ſcandalo & quod imprimis lugendum

Digitized by Google

dum, Chriſto Domino nefarijſſimæ eſt injuriæ: Hinc eâ; quâ Apoſtolicæ Sedis authoritate, ad compeſcendos in Provincia nobis commiſſa Eccleſiaſticorum abuſus, ſollicitâ Poteſtate pollemus, cunctis R. R. Superioribus Monaſteriorum quorumlibet ſpecialiter etiam exprimendorum, tum Virorum, cum Mulierum in prædictis Regionibus Helvetiæ, Rhætiæ, & Valeſiæ, eorumque Subditorum exiſtentium, Aliisque &c. Strictè mandamus pænis quoque propoſitis arbitrio noſtro infligendis, ne ad ſacra in eorum Eccleſiis ſive privatis Oratoriis impoſterùm peragenda Presbyteros pulvere Cyprio reſperſos, cincinatos, & muliebri potiùs cultu, quàm Sacerdotali modeſtiâ indutos quocumque colore, prætextu, occaſione, & cujuſcumque demùm ſint dignitatis, & conditionis admittant. Neminem enim latere arbitramur quid Eccleſiæ Spiritus, quid Sacri Canones, quid Oecumenicæ Synodi à Sacerdotibus Chriſti requirant, quorum non ſolùm animus & externi mores, ſed

habitus

Digitized by Google

habitus quoque corporis, veſtes, & inceſſus ipſe, ceteros debent de eorum præſtantia, & de angelica propemodùm dignitate monere, quam & ſi ubicumque non ſervare ſcelus ſit, in ipſa tamen verenda Chriſti Corporis Oblatione polluere nefarium eſt, impium, ſacrilegum, deteſtabile. Datum Lucernæ VIII. Kalendas Apriles M. DCC. XXIV.

Apoſtolicâ Sede Vacante.

DECRE-

Digitized by Google

# DECRETUM
## DE NOVA.
### Regulæ S. Patris Auguſtini & Antiquarum Conſtitutionum Hoſpitalis Monaſterii S. S. Nicolai & Bernardi in Monte Jovis editione facienda.

SUper penninas Alpes in devii ſanè ac prærupti itineris faſtigio, Jovis Monte, ad hæc uſque tempora nuncupato, Divus Bernardus à Menthone Canonicus Regularis, Sancti Nicolai Myrenſis ope & præſidio uſus, decimo medio fermè ſæculo, Hoſpitale Cœnobium excitavit,

vit,

vit, in hoc præcipuè ut illàc ægrè quidem, nec ſine diſcrimine tranſeuntium periculis ac difficultatibus occurreretur, victu, hoſpitio, veſtitu quoque neceſſario juvando ſingulos, viatoribuſque poſt horridum emenſum iter, in deſertiſſimo impeditoque loco ad requiem atque tutamen, quæ uſui forent, apparando. Quod à ſanctiſſimis viris pietate plenum excogitatum opus benignè adeò reſpexit DEUS, in miſericordia ſua, ut & ſummorum Pontificum, quibus Monaſterium immediatè ſubjacet, & Sereniſſimorum Sabaudiæ Ducum, qui pluries illud in ſuis Litteris *Divitum, pauperumq; refrigerium & ſummi Regis palatium* prædicàrunt, favore ac liberalitate auctum privilegiis, bonis, indultis, beneficijs quoque pluribus egregiè donatum hodiè totius ordinis ſeu Præpoſituræ & Congregationis Princeps & Caput habeatur.

Anno 1434. Jubente ſummo Pontifice Eugenio IV. Joannes Tit: S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis Apoſtolicâ Auctoritate Legatum agens Cœnobium iſtud reformavit, ſaluberrimisque ſancitis Conſtitutionibus ejus impoſterùm decori

cori ſimul & perpetuitati contulit; quibus Conſtitutionibus verbotenùs ipſi relatis, doctiſſimus graviſſimusquè Pontifex Pius II. ſpecialiter obſervantiæ robur & auctoritatis attribuit.

Fuit deinceps Apoſtolici ad Helvetios Nuntij tutelæ fiduciæque traditum, atque adeò commendatum, ut ex ijs aliquis, itinerum, tempeſtatùmque difficultate poſthabitâ, illud aliquando præſens inviſerit, quos inter Patracenſis Archi-Epiſcopus Hieronymus Farneſius Anno MDCXLII. Jacobus verò Carracciolus Archi-Epiſcopus Epheſinus, cùm illùc Auditorem ſuum legaviſſet, Conſtitutiones, quarum meminimus, Anno MDCCX. typis mandari juſſit, præloque, ut cuderentur, curavit.

De iſtarum Conſtitutionum obſervantia fuit aliquando inter Canonicos diſceptatum, & ad ſacram Epiſcoporum & Regularium Congregationem controverſia delata; multa ab ipſa fuêre decreta, atque inter cetera, ut Apoſtolicus pro tempore ad Helvetios Nuntius Regulæ S. Patris Auguſtini, earundemque Conſtitutionum, ſuorum

deniqué decretorum penès iſtius Præpoſituræ Canonicos, Cuſtos, Executor, ac in regione, quo ad omnes privativus Judex impoſterùm haberetur.

Tali præclarum iſtud Monaſterium regimine moderabatur, cùm nos immeriti Apoſtolicæ Legationis munus obeuntes, Lucernæ primò conſedimus, deinde per Valleſiam ad Agaunenſe Cœnobium reſtituendum properantes, VIII. Idus Auguſtas in Jovis Montem aſcendimus, & Hoſpitale Monaſterium lubentiſſimis oculis, nec ſine voluptate luſtravimus. Quid enim nobis poterat eſſe jucundiùs, quàm perpulchram omnimodè Chriſtianæ charitatis velut imaginem, in ipſo opere contemplari? requiſivimus omnia, de ſingulis fuimus edocti; pietatem in pauperes, in exteros humanitatem, cuilibet patens Hoſpitium, officia in omnes deprehendimus ſingularia. Regularis præterea nos ſanctimonia, moreſque tali inſtituto digni, & Conſtitutionum præcipua obſervantia mirificè delectârunt. Quæ omnia, & ſi Religioſo-

rum

rum hominum animis altiùs, quàm litteris tradita, conſiderabamus impreſſa: humana tamen imbecillitas rerumque viciſſitudo ſuopte curſu in pejus ruere conſueta ſolicitos nos habebat. Quamobrem cùm pauca admodum ipſarum Regulæ & Conſtitutionum exempla penès vix unum vel alterum ex ipſis Canonicis inveniſſemus; ne, quæ tot tantisque ſummorum ac principum virorum curis fuerunt hùcuſque ſervata, dies interciperet; nevè ſacræ Congregationis, & Conventûs auctoritate ipſius Anno MDCCXVI. ſub Apoſtolico Præſide habiti, acta mendis adhuc ſcatentia oblivione delerentur; noviſſimâ ſingulorum editione prælo laboratâ eorum perpetuitati conſulere viſum eſt.

Eâ igitur Apoſtolicæ Legationis, quâ fungimur, & pollemus auctoritate, præcipimus venerabilibus viris Canonicis, Præpoſitis, Superioribus, quos ea cura præcipuè reſpicit, ac litteris hisce noſtris, decretoque ſtrictè mandamus, ut quod ipſis Monaſterio & Catholicæ Religioni bono cedat, Regulam S. P. Auguſtini, peculiares ejuſdem ſuæ Congregationis Conſtitutiones

 jam

jam anteà S. Sedis Apoſtolicæ juſſu editas & comprobatas, Sacræ Congregationis Epiſcoporum & Regularium Decreta, Acta item integra nuperi Conventûs celebrati, una & Litteras Apoſtolicas ad Congregationem, vel ejusdem favore datas ritè, dilucidè, ac emendatè ſecundis typis imprimi recudiq́ue ſtudeant, jubeantque. Quibus omnibus Decretum hócce noſtrum præponi volumus, ut in antiquiſſimum celeberrimumq́ue Cœnobium ſolicitudo, ſtudium, ſedulitas, quæ impendimus, nuſquam non appareant.

Datum Lucernæ. VIII. Kal: Decembris. M DCC XXII.

JOANNIS

# JOANNIS GEORGII AB ECKHART EPISTOLA DE SUA CONVERSIONE AD CATHOLICAM FIDEM; CUM AUCTORIS RESPONSO.

*Juxtà Exemplar editum Romæ, MDCCXXIV. Ex Typographia Hieronymi Mainardi, Præſidum permiſſu.*

## PRÆFATIO.

JOannes Georgius Eccardus, ſcriptis editis celeberrimus, qui olim Hanoveræ in ſtudijs hiſtoricis,

Digitized by Google

ricis, & chronologicis auxiliatrices manus Godefrido Guillelmo Leibnitio porrexit, atque ei poſteà in eodem labore ſucceſſit, nuperrimè ineunte hoc Anno MDCCXXIV. ex hæreſi Lutherana in ſinum Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ, Leibnitio felicior, & glorioſior, omnium bonorum gaudio confugit. Hoc ubertim docent Eccardi literæ, raptim quidem, & breviter., ſed ex animo ſcriptæ ad Illuſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Dominicum Passioneum, Archi-Epiſcopum Epheſinum, & apud Helvetios Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Apocriſarium. Has, unà cum Archi-Epiſcopi Reſponſo ad Eccardum, hùc Romam Die XVII. Februarij ad utriuſqne amicum perlatas, tecum, Lector optime, communicare ſtatuimus. Eas, perlege, & DEUM roga, ut alios quoque ex tetro erroris carcere ad lucem Catholicæ veritatis propiùs agnoſcendam educat.

VALE.

*JO-*

Digitized by Google

# JOHANNIS GEORGII ECCARDI *EPISTOLA* AD DOMINUM ARCHI-EPISCOPUM PASSIONEUM.

REVERENDISSIME ATQUE ILLUSTRISSIME DOMINE

ITerùm diuturnum meum ſilentium ſubmiſsè excuſo. Cauſa ejus ſine dubio legitima tibi videbitur. Diu, & à multis jam annis colluctatus

Digitized by Google

luctatus ſum cum conſcientia mea. Agnovi me à via veræ ſalutis devium ; Sed temporalia me commoda hùcuſque detinuerunt. Animæ tamen cura tandem omnibus prævaluit. Vici obſtacula, rupi vincula, etiam tenerrima, & cariſſima mihi ; & cum aliter per temporis circumſtantias non liceret, nudus aufugi. Reliqui omnia mundi bona, etiam ingenij fulcimenta, Codices veteres, Bibliothecam, Muſeum rebus curioſiſſimis repletum, Salarium annuum 1500. Imperialium, uxorem ſuaviſſimam cum liberis tribus optimæ ſpei. Hæc pignora ſola mecum eſſe deſidero, reliqua lubens contemno ; & maxima mea cum voluptate nudus nudum ſequar Chriſtum. Hæc tibi, Reverendiſſime atque Illuſtriſſime Domine, ante alios, indicanda eſſe credidi. Dignatus me es favore tuo, cum hæreſi infectus eſſem ; recipe jam in te patrocinium ad Catholicam fidem converſi. Maximè Reverendi Patres Societatis JEſu jam amantiſſimè, & ſpiritualibus ſolaminibus, & temporalibus etiam me erigunt. Nolim tamen ijs diutiùs gravis eſſe ; & cum plura didicerim ;
&

& ex veteribus monumentis, & ex uſu rerum diuturno, quibus magno cuidam Principi, aut, ſi fata velint, Eccleſiæ etiam, inſervire quodammodo poſſim, Te quoque ſubmiſſe rogo, ut; datâ occaſione, me Romæ, & apud alios Amicos, ubi commoditas ſe offeret, commendatione tuâ dignari velis. Schannatus Fuldenſis Hiſtoricus mihi miſerat Vindemiarum ſuarum exemplar; ſed in iſta animi perturbatione Hanoveræ ejus oblitus ſum. Scribam tamen ei, ut aliud mittat. Eſt vir eruditus, candidus, & indefeſſus in deligendis veteribus monumentis. De meis ſtudijs jam actum erit, niſi DEUS viam oſtendat reſtituendi damna perpeſſa.

Iterùm iterùmque me patrocinio tuo ſubmiſsâ prece commendo. Coloniæ. Raptim, Die 18. Januarij. 1724.

Literæ ad me dirigendæ, erunt hùc ad Collegium Societatis Jesu mittendæ. Utinam ab Illuſtriſſima Reverentia tua commendatiunculam ad

Reverendiſſimum Nuncium hic loci expetere mihi liceret.

*REVERENDISSIMI ATQUE ILLUSTRISSIMI NOMINIS TUI*

*Devotiſſimus Servus*

JOANNES GEORGIUS
AB ECKHART.

DOMINI

DOMINI
ARCHI-EPISCOPI
# PASSIONEI
## *RESPONSUM*
## AD ECCARDUM.

JOANNI GEORGIO AB ECCARD.
Dominicus Archi-Epiſcopus
S. P. D.

EO momento, quo tabellarius diſcedere erat paratus, redditæ ſunt mihi amantiſſimæ litteræ tuæ, quas ſum præ gaudio oſculatus. Ad eas, quùm morbo moleſtiſſimo correptus in lectulo decumbam, paucis reſcribo, mittoque unà Epiſtolam Illuſtriſſimo Nuncio Colonienſi, tui

Digitized by Google

tui commendatitiam. Per proximum curſorem plura, & commodiùs. Benedictus interim DEUS, qui operatus eſt in te mirabilia ſua. Si quà meâ operâ, ſtudio, commendatione juvari potes, univerſa ab homine amiciſſimo, præſertim in nova hac tua vocatione, fidenter expecta, ac vale plurimum.

*Lucernæ IV. Kal. Februarijs* 1724.

Vix præ morbo manum calamo admovere poſſum, ſed gratiſſimus tuus de te nuncius ſtatim ferè me incolumem reddidit. Interim dextera Domini magnificetur, quæ tibi, ſicut olim Piſtorio, Beſoldo, Holſtenio, Lambecio, conterraneis tuis, & tot alijs, in Republica literaria viris ſummis, ad ſinum Catholicæ Eccleſiæ redeuntibus, miſericordiæ ſuæ theſauros aperuit. Nulla mea officia tibi defutura pro certo hàbeas velim : teque ſemper in Domino cupio benevalere, Fili cariſſime.

Digitized by Google

# MONITUM.

QUum viduatæ Eccleſiæ Curienſis cura potiſſima incumbat Legato Apoſtolico Helvetiorum ; huic idibus Decembribus anni proximè elapſi, maximè cupido, ut ſacri Electores, qui in eandem Eccleſiam, novum Epiſcopum in Domino renuntiaturi, convenerant, prævium aliquod commonitorium contrectarent, quo pro ſui muneris magnitudine ad conferenda ſuffragia optimè parati accederent, deque officio ſuo ex alieno periculo aptiùs edocerentur, peropportuna viſa eſt nova editio aureæ Admonitionis, quam Robertus Bellarminus (S. R. E. Cardinalis, ſcientiâ ſanctorum ac DEO plenus, ad Nepotem ſuum Epiſcopum Theanenſem, de ejus ſalute vehementer ſollicitus exaravit. Licet enim de

 more

more ſermo ante Curienſis Præſulis electionem ad Altare interceſſerit ; attamen quum nulla res ſit , quæ majoribus conſilijs egeat ac electio Paſtoris (ſummo nautis perinde ac navigio vectis diſcrimine imminente ) hoc etiam ſcripto , quod præcipuas Paſtoris partes aptâ oratione complectitur, novam graviſſimæ rei mentionem injicere placuit. Maximum quippe Electorum periculum ex dignitate electionis , exercendique tanti muneris difficultate cognoſcitur : nequaquàm enim impunè delinquitur in Spiritum Sanctum , qui tanquam cæleſtis Numinis auctor , rectique conſilij fons , pijs , ut decet , effuſisque precibus , in omni ſacra electione , invocatur.



Digitized by Google

# ROBERTI BELLARMINI

EX SOCIETATE JESU
S. R. E. CARDINALIS

# *ADMONITIO*

# DE EPISCOPUM THEANENSEM

NEPOTEM SUUM.

*QUÆ NECESSARIA SINT EPISCOPO QUI VERE SALUTEM SUAM ÆTERNAM IN TUTO PONERE VELIT.*

AD EXEMPLAR EDITUM

ROMÆ,
Typis Joſephi Corvi, & Bartholomæi Lupardi,
Impr. Cam. M.DCLXXVII.

Digitized by Google

# AUCTOR
## AD LECTOREM.

Opuſculum hoc non eo animo ſcripſi, ut typis mandaretur; ſed ut nepos meus, creatus Epiſcopus, haberet à me quaſi commonitorium breve, unde in officio illo valdè periculoſo aliquantulùm juvaretur.

Quis autem libellum illum meum prælo dignum cenſuerit, & re ipsâ Lutetiæ excudendum curaverit, neſcio. Nemo enim ad me de ea re aliquid ſcripſit, neque conſenſum, aut conſilium meum ullus quæſivit. Sed in bonam partem omnia accepi: exiſtimo enim, quicumque is fuerit, bono animo id eum feciſſe. Quia verò libellus meus nimis omninò brevis eſt, operæpretium eſſe duxi, hìc annotare auctores nonnullos, qui de hoc argumento ſcripſerunt, ut ex ijs lector accipiat, quæ in opuſculo meo deſunt. Igitur Primus, quem legi, S. Ambrosius eſt, qui librum

brum ſcripſit de dignitate ſacerdotali. Secundus, S. Joannes Chrisostomus, qui ſcripſit libros ſex de Sacerdotio, ubi Epiſcopos futuros ſimùl abſterret, & inſtruit. Tertius, S. Augustinus, qui librum unum ſcripſit de Paſtoribus, & alterum de ovibus. Quartus, S. Gregorius, qui librum ſcripſit de cura paſtorali, in quatuor partes diviſum. Quintus, S. Bernardus, qui epiſtolam unam, ſed valdè prolixam, ad inſtar libri ſcripſit de officio Epiſcopi, ad Henricum Archiepiſcopum Senonenſem. Idem Auctor de hoc argumento multa præclarè ſcripſit in libris de conſideratione. Sextus, S. Thomas, qui ſcripſit in Summa ſua Theologica integram quæſtionem de ijs, quæ pertinent ad ſtatum Epiſcoporum. Septimus, S. Bernardinus, qui ſcripſit ſermonem ad ſynodum de Rectoribus & Prælatis. Octavus, B. Laurentius Justinianus, qui ſcripſit librum de inſtitutione, & regimine Prælatorum. Nonus, *Dominicus à Soto*, qui ſcripſit de ſtatu Epiſcoporum in toto libro decimo de juſtitia & jure. Decimus, *Claudius Lajus*, unus ex primis decem Socijs Beati Ignatij Lojolæ, qui ſcripſit Speculum Præſulum, ex

ex verbis Scripturæ, Canonum, & Doctorum, quod typis mandatum fuit Ingolſtadii Anno Domini MDCXV. Acceſſit ad hoc ſpeculum commentarius de officio Præſulum, eodem tempore, & loco excuſus. Undecimus, *Bartholomæus Bracharenſis* Archiepiſcopus, qui ſcripſit Stimulum Paſtorum. Duodecimus, *Aloyſius Granatenſis*, qui ſcripſit concionem ſatis plenam, & prolixam de officio Paſtorali, quæ duo poſtrema opera ſtudio, & diligentiâ Sancti Caroli Borromæi prodierunt Romæ Anno Domini MDLXXII.

ROBERTI

Digitized by Google

# ROBERTI
# BELLARMINI
## EX SOCIETATE JESU, S.R.E. CARDINALIS
### *ADMONITIO*
# AD EPISCOPUM
## THEANENSEM NEPOTEM SUUM.

*Quæ neceſſaria ſint Epiſcopo, qui verè ſalutem ſuam æternam in tuto ponere velit.*

QUod SALVATOR Noſter ait, multos eſſe vocatos, & paucos electos, & multos eſſe, qui ingrediuntur viam latam, quæ ducit ad perditionem, paucos autem, qui viam anguſtam quæ ducit ad vitam, inveniunt: id in Epiſcopis etiam locum habere videtur, cum Sanctus Joannes Chryſoſtomus, *Homil. 3. in Acta Apoſtolorum*,

*ſtolorum*; dicat paucos eſſe ex ordine Epiſcoporum qui ſalventur. *Etenim*, inquit, *ſi noviſſes, quòd Epiſcopus debet omnium onera geſtare; quòd alijs iraſcentibus datur venia, ipſi verò nequaquàm: quòd alijs peccantibus ſupereſt excuſatio, ipſi verò minimè; haudquaquàm feſtinaſſes ad Primatum, haudquaquàm accurriſſes. Hic enim omnium linguis expoſitus eſt, omnium judicijs objectus, & ſapientium, & inſipientium; curis perpetuis obtunditur, tum diurnis, tum nocturnis: multos habet quibus eſt inviſus, multos habet invidentes, &c.* Poſteà ſubjungit: *Dic mihi, ſi quis decem habet filios ſubditos, aſſiduè cum ipſo viventes; cogitur ſine intermiſſione curam illorum agere: quid non patietur hic qui tot habet, non domeſticos, ſed obedientiam habentes in ſua ipſorum poteſtate? &c* Et rursùs. *Quàm multos cogitur offendere volens nolens! quàm multos objurgare velit, nolit! Non temerè dico, ſed ut affectus ſum ac ſentio: non arbitror inter Sacerdotes multos eſſe qui ſalvi fiant., ſed multos eſſe qui pereant. In cauſa eſt, quoniam res excelſum requirit animum. Multas enim habet cauſas, quæ depellant ipſum à ſuis moribus & innumeris oculis illi opus undique. Non vides quàm multas oportet res adeſſe Epiſcopo, ut ſit appoſitus ad docendum, ut tolerans malorum, ut tenax*

*tenax ſit ac fidelis in doctrina ſermonis? Quantæ hæc difficultatis, & quod alij peccant illi imputatur! Nihil dico præterea, ſi vel unus tantùm decedat non initiatus, nonne totam ipſius ſubvertit ſalutem? unius enim animæ perditio tantam habet jacturam, uti nullâ tatione poſſit æſtimari: etenim ſi unius animæ ſalus tanti eſt, ut ob hanc filius Dei fieret homo, tantaque pateretur; perditio, cogita, quantam conciliabit pœnam? Quòd ſi quis ob hominem in hac vita perditum morte dignus eſt, quantò magis ille &c.* Et paulò poſt; *Proinde ſi quis ad ſummum ſacerdotium acceſſerit, velut ad ſollicitudinem & curam, nullus illud facilè ſuſceperit. Nunc autem non aliter quàm prophanos magiſtratus, & hanc affectamus dignitatem: nimirùm ut honorificemur & glorificemur apud homines, perdimur apud DEUM.*

Et ratio idem confirmat: quia nullum eſt officium periculoſius, & quod majorem vitæ perfectionem requirat, quàm officium Pontificale; ut ſcribit Sanctus Auguſtinus: *Perfectio enim paucorum eſt, & imperfectorum infinitus eſt numerus.* Propterea ajebat ipſe *Epiſt.* 148. quæ eſt ad Valerium: *Ante omnia peto, ut cogitet religioſa prudentia tua, nihil eſſe in*

*hac vita, & maximè hoc tempore, facilius & latius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, aut Presbyteri; aut Diaconi officio, ſi perfunctoriè atque adulatoriè res agatur; ſed nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius: Item nihil eſſe in hac vita, & maximè hoc tempore, difficilius, laborioſius, periculoſius, Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio; ſed apud Deum nihil beatius, ſi eo modo militetur, quo noſter Imperator jubet. Quis autem iſte ſit modus, nec à pueritia, nec ab adoleſcentia mea didici, & eo tempore quo diſcere cœperam, vis mihi facta eſt merito peccatorum meorum. Nam quid aliud exiſtimem neſcio, ut ſecundus locus gubernaculorum mihi traderetur, qui remum tenere non noveram &c. Et hinc erant lacrymæ illæ, quas me fundere in civitate, Ordinationis meæ tempore, nonnulli fratres animadverterunt, & neſcientes cauſas doloris mei, quibus potuerunt ſermonibus, qui omninò ad vulnus meum non pertinerent, tamen bono animo, conſolati ſunt. Sed multo ampliùs expertus ſum quàm putabam, non quia novos aliquos fluctus, aut tempeſtates vidi, quas ante non noveram, vel non audieram, vel non legeram, vel non cogitaveram; ſed ad eas vitandas, aut perferendas, ſolertiam, & vires meas omninò non noveram,*

Digitized by Google

*noveram, & alicujus momenti arbitrabar, &c.* Et poſteà addit: *Quid enim reſponſurus ſum Domino Judici, &c. Si ergo mihi dicat: Serve nequam, ſi villa Eccleſiæ calumnioſum aliquem pateretur, cujus fructibus colligendis magna opera impenditur, neglecto agro quem rigavi ſanguine meo; ſi quid agere pro ea poſſes, apud judicem terræ, nonne omnibus conſentientibus, nonnullis etiam jubentibus & cogentibus, pergeres, & ſi contra te judicaretur, etiam trans mare proficiſcereris, atque ne hoc modo, vel annuam, vel amplius abſentiam tuam nulla querela revocaret, ne alius poſſideret terram, non animæ ſed corpori pauperum neceſſariam; quorum tamem famem vivæ arbores meæ, multò faciliùs mihique gratiùs, ſi diligenter colerentur, explerent? Cur ergò ad diſcendam agriculturam meam, vocationem temporis tibi defuiſſe cauſaris? Dic mihi quid reſpondeam? rogo te, &c.*

Quare ſi quis velit in tuto ſalutem ſuam collocare; & ſimùl oporteat eum Epiſcopali officio fungi; is omninò debet de novem controverſijs, certam veritatem inquirere, & non reſpicere, quid multi hoc tempore dicant, aut faciant; & ſi rei certitudo non poſſit ad liquidum apparere, debet omninò tutiorem partem ſequi, & nullâ

 ratione

ratione, nullius imperio, nullà utilitate temporali propoſitâ, ad minùs tutam partem declinare. Agitur enim de ſumma rei cum de ſalute æterna tractatur, & facillimum eſt conſcientiam erroneam exemplo aliorum induere, & eo modo conſcientiâ non remordente, ad eum locum deſcendere, ubi vermis non moritur, & ignis non extinguitur.

# PRIMA CONTROVERSIA.

*An liceat appetere, vel ſaltem optare Epiſcopatum.*

Hanc controverſiam non poſui in admonitione ad Nepotem meum, quia cum eam ſcriberem, jam ille Epiſcopus erat. Viſum eſt autem in recuſione, illam addere; quia non deſunt, hoc tempore, qui Epiſcopatum non ſolùm appetant, ſed etiam petant. Quibus veriſſimè dici poteſt. (*a*) *Neſcitis, quid petatis.* Occaſio hujus quæſtionis nata eſt ex illa ſententia B. Pauli: (*b*) *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat.* Videtur enim Apoſtolus ponere Epiſcopatum inter ea, quæ

(*a*) *Marc.* X. 38. (*b*) *I. Tim.* I. 3.

quæ laudabiliter appeti poſſunt. Et quidem Sanctus Gregorius in prima parte Paſtoralis ſcribit, tempore Apoſtolorum fuiſſe laudabile Epiſcopatum appetere, quoniam idem erat atque appetere martyrium. Tunc enim primi, qui quærebantur ad necem, Epiſcopi erant: (*a*) *Notandum*, inquit, *quod illo tempore hoc dicitur, quo quiſque plebibus præerat, primus ad martyrij tormenta ducebatur. Tunc ergo laudatum fuit Epiſcopatum quærere, quando, per hunc, quemque dubium non erat, ad ſupplicia graviora pervenire.* Hæc ille. Sed communis expſitio, quam etiam S. Gregorius in eodem loco ſequitur, eſt, quòd qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus, id eſt, rem perfectiſſimam, & altiſſimam deſiderat. Quod explicat Apoſtolus dicens: (*b*) *Oportet ergo Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe.* Ex quo ſequitur, ut Epiſcopatus non deſiderandus, ſed admirandus; quippe qui Angelicam puritatem, & perfectionem requirat. *Pavet*, inquit (*c*) S. Gregorius, *ex deſiderio, & terret* ex

(*a*) *Paſtoral. Par. I. cap.* 8.

(*b*) *I. Tim. II.* 2.

(*c*) *Paſtoral. Part. I. cap.* 8.

Digitized by Google

*ex præcepto ; ac ſi appertè dicat : laudabo quod quæritis ; ſed priùs diſcite quid quæritis, ut dum voſmetipſos metiri negligitis, tantò fædior veſtra reprehenſibilitas appareat, quantò & à cunctis conſpici in honoris arce feſtinatis.* Hæc ille. Eadem eſt ſententia aliorum Doctorum. Sed hoc loco ſatis mihi eſſe videtur, ſi adducam verba S. Auguſtini, & S. Thomæ, quorum alter Patrum, alter Scholaſticorum Princeps habetur. S. Auguſtinus in libris de Civitate Dei apertiſſimè ſcribit: (*a*) *Locus ſuperior, ſine quo regi populus non poteſt, etſi ita teneatur, atque adminiſtretur, ut decet; tamen indecenter appetitur.* S. Thomas, in explicatione verborum Apoſtoli: *Qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat. Aut* inquit, *appetit aliquis circumſtantias, tunc neſcit quid appetat; aut appetit ipſum opus, & hoc ſuperbia.* Declarat idem Auctor (*b*) quid vocaverit circumſtantias, & quid vocaverit opus; & dicit, circumſtantias eſſe altitudinem gradûs, honorem illi debitum, & ſufficientiam temporalium facultatum: opus autem eſſe dicit, ipſum officium Epiſcopale. Et

(*a*) *Lib.* 19. *cap.* 19.

(*b*) *Secundâ ſecundæ.*

Digitized by Google

Et quidem deſiderare Epiſcopatum ratione circumſtantiarum, dicit manifeſtiſſimè eſſe illicitum, quia pertinet ad cupiditatem, vel ambitionem. Appetere officium Epiſcopale, ex ſe bonum eſſe dicit, & laudabile; ſed quia Epiſcopale officium habet annexam celſitudinem gradûs, quæ ab officio ſeparari non poteſt, præſumtuoſum videri dicit, quòd aliquis appetat præeſſe. Et reverà, cum Epiſcopus debeat inter illos homines lucere, ut ſol inter ſtellas, ſicut S. Joannes Chryſoſtomus (*a*) affirmat ſcribens in priorem ad Timotheum; & ex ſententia S. Gregorij, (*b*) debeat Epiſcopus ſupereminere ſuper homines ſibi ſubjectos, quantum præſtat homo pecudibus; & ex doctrinâ Concilij Tridentini; (*c*) Epiſcopi officium ſit angelicis humeris formidandum: mirum eſt, ſi quis nimìs prorsùs amens, audet Epiſcopi officium appetere. At S. Thomas, in loco ſupra notato, ſcribit, imminente manifeſtâ neceſſitate, poſſe Epiſcopatum appeti. Reſpondeo, admonendos eſſe ambitio-

(*a*) *Homil.* 10. (*b*) *Paſtor. Par.* 2.
(*c*) *Seſſ. 6. cap.* 1.

ambitioſos, ut manifeſtam illam neceſſitatem expectent: quæ ſi tempore ſuo non advenerit, ut temporibus noſtris, & temporibus Patrum noſtrorum nòn advenit, quieſcant; nec ſolùm petere non audeant, ſed nec ullo modo appetere; alioqùi cum S. Bernardo in libro de conſideratione (*a*) illis dicimus: *Alius pro alio, alius fortè & pro ſe rogat; pro quo rogaris, fit ſuſpectus; qui ipſe rogat pro ſe, jam judicatus eſt.* Et quidem ego veterum exempla deſiderans, invenio plurimos ſanctos viros, omnibus ætatibus, Epiſcopatum vel recuſaſſe, vel non niſi invitos, & coactos ſuſcepiſſe; qui petierint, vel appetierint, nullos omninò ſanctos viros reperire potui. De S. Cornelio Papa, & Martyre ſic ſcribit S. Cyprianus ad Antonianum (*b*) *Epiſcopatum*, inquit, *nec poſtulavit, nec voluit, nec ut cæteri, quos arrogantiæ & ſuperbiæ ſuæ timor inflat, invaſit: ſed quietus & modeſtus, & quales eſſe conſueverunt, qui ad hunc locum divinitùs eliguntur, pro pudore virginali conſcientiæ ſuæ, & pro humilitate ingenita ſibi, & cuſtoditæ verecundiæ*

(*a*) *Lib. 4. Cap. 6.*
(*b*) *Lib. 4. Epiſt. 2.*

*diæ, non ut quidam, vim fecit ut Epiſcopus fieret; ſed vim paſſus eſt ut Epiſcopatum coactus exciperet.* De Sancto Ambroſio ſcribit Paulinus, in ejus vita, eum Epiſcopum electum, non ſolùm fugam attentaſſe, ſed etiam impudicas mulieres ad ſe vocaſſe, ut indignus Epiſcopatu judicaretur; & tandem omninò invitum, coactum, ad Epiſcopatum evectum fuiſſe. De Sancto Joanne Chryſoſtomo, ex libris ejus de ſacerdotio, perſpicuè intelligi poteſt, quantum ab Epiſcopatu ſuſcipiendo abhorruerit. De Sancto Auguſtino, ab ejus ſermone de communi vita Clericorum, manifeſtè colligitur, eum totis viribus, & omni animi proviſione contendiſſe, ne Epiſcopus fieret. Hoc idem de Sancto Gregorio intelligi poteſt ex Joanne Diacono, in vita Sancti Gregorij, (a) ubi de fuga ejus ſic loquitur: *Quia palàm egredi portas civitatis non poterat, à negotiatoribus exponendum ſe diſſimulato habitu callidus impetravit; ſylvarum ſaltus expetivit, cavernarum latibula requiſivit; in quibus dum ab omnibus ſummâ ſollicitudine quæreretur, indicio columnæ fulgidæ: ſuper ſe*



(a) *lib. I. cap.* 44.

*jugiter è cælo dependentis, agnoſcitur; capitur, trahitur, & apud Beati Petri Apoſtolorum Principis templum ſummus Pontifex conſecratur.* De Sancto Fulgentio ſic loquitur auctor vitæ ejus: *Tunc Beatus Fulgentius eligentium vota velociori præveniens fugâ, latebris incertis abſconditur; nec quæſitus ullatenùs invenitur.* Et infrà: *Tunc aggregatâ violentæ multitudinis manu, repentè Beatus Fulgentius in propria cellula repertus, invaditur, tenetur, ducitur, & Pontifex eſſe non rogatur, ſed cogitur.* De Sancto Anſelmo ſic ſcribit Edinerus in vita ejus: (*a*) *Audit hoc ille, (Anſelmus videlicet electionem ſuam) & ferè uſque ad examinationem ſui contradicit, reluctatur, & obſiſtit. Prævalet tamen Eccleſiæ Dei conventus. Rapitur ergo, & violenter in vicinam Eccleſiam, cum hymnis & laudibus, portatur magis, quàm ducitur.* Denique ut omittam alia multa, Beatus Andreas Epiſcopus Feſulanus, ut in ejus vita fideliter conſcripta legitur, electus Epiſcopus, timens ne ſub tanto onere premeretur, tertio milliario ab urbe, apud Carthuſienſes latitavit; nec niſi per cœleſtem revelationem certior factus,

(*a*) *Lib.* 2.

Digitized by Google

factus, electionem ſuam eſſe à Deo, unquam aſſentiri voluit. Hæc pauca exempla recenſere volui à prima, media & ultima ætate Eccleſiæ repetita, ut intelligamus ſemper Deo placuiſſe, ut Epiſcopale officium non ambiretur, ſed formidaretur; & non ſine multa ratione etiam in jure civili ſcriptum inveniri: (*a*) *Tantum ab ambitu debet* (*Antiſtes*) *eſſe ſepoſitus, ut quæratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat; ſola illi ſuffragetur neceſſitas excuſandi. Profectò enim indignus eſt ſacerdotio, niſi fuerit ordinatus invitus.* Cum qua lege concordat Sanctus Bernardus in libris de conſideratione, admonens Eugenium Papam, ac dicens: (*b*) *Non volentes, neque currentes aſſumit; ſed cunctantes, ſed renuentes: etiam coge illos, & compelle intrare.* Ex his perſpicuum eſſe opinor, quàm longè aberrent à via veritatis, & ſalutis ſuæ, & aliorum, qui cum nullâ ratione comparandi ſint cum ſanctis illis viris, qui Epiſco-



(*a*) C. *de Epiſc. & Cler. lib.* 29.

(*b*) *Lib.* 4.

ſcopatum inviti, & coacti ſuſceperunt, vel etiam ut eum ſuſciperent, nullà ratione adduci potuerunt, ut Sanctus Bernardus, Sanctus Thomas, & alij pauci; & tamen anhelant, & currunt ad regimen animarum, quaſi ad bravium, & verè neſciunt quid ſit quod quærunt: ſed ſcient, quando ſcire non proderit, & quando cum reprobis dicent: (a) *Ergò erravimus à via veritatis, & juſtitiæ: lumen non luxit nobis, & ſol intelligentiæ non eſt ortus nobis: quid nobis profuit ſuperbia, aut divitiarum jactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquàm umbra.*

## SECUNDA CONTROVERSIA.

*An Epiſcopus teneatur in Eccleſia ſua reſidere, & non inde diſcedere, niſi ad tempus, ob cauſas non in Concilio Tridentino (b) explicatas.*

Concilium ſic habet: *Cum Chriſtiana charitas, urgens neceſſitas, debita obedientia, ac evidens Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos non numquàm*

(a) *Sap.* 5.
(b) *Seſſ.* 24. *Cap.* 1.

*quam abeſſe poſtulent, & exigant; decernit eadem ſacroſanƈta Synodus has legitimæ abſentiæ cauſas, à Beatiſſimo Romano Pontifice, aut Metropolitano, vel eo abſente, ſuffraganeo Epiſcopo antiquiori reſidente, qui idem Metropolitani abſentiam probare debebit, in ſcriptis eſſe approbandas; niſi cum abſentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium Epiſcopatibus adjunƈtum: cujus quoniam cauſa ſunt notoriæ, & interdùm repentinæ, nec eas quidem ſignificari Metropolitano neceſſe erit. Ad eundem tamen, cum Concilio Provinciali, ſpeƈtabit judicare de licentjis à ſe & à ſuffraganeo datis, & videre ne quis eo jure abutatur, & pœnis canonicis errantes puniantur &c.*

Jam qui veritatem, aut partem tutiorem quærit, perpendat quid de ea re ſentiant D. Thomas, Cajetanus, & alij. Sanè D. Thomas ſic reſpondet. (a) *Dicendum quòd in qualibet obligatione precipuè attendi debeat obligationis finis. Obligant autem ſe Epiſcopi ad exequendum paſtorale officium propter ſubditorum ſalutem. Et ideò ubi ſubditorum ſalus exigit perſonæ Paſtoris præſentiam, non debet Paſtor perſonaliter ſuum gregem deſerere, neque propter aliquod perſonale periculum immi-*

(a) *Quæſt.* 185. *art.* 5.

*imminens ; cum bonus Paſtor animam ſuam ponere teneatur pro ovibus ſuis. Si verò ſubditorum ſaluti ſufficienter in abſentia Paſtoris per alium provideri poſſit ; tunc licet Paſtori, vel propter aliquod commodum Eccleſiæ, vel perſonæ periculum, corporaliter gregem deſerere. Unde Auguſtinus dicit in Epiſtola ad Honoratum : Fugiant de civitate in civitatem Chriſti, quando eorum quiſque à perſecutoribus quæritur, ut ab alijs, qui non quæruntur, non deſeratur Eccleſia. Cum autem omnium eſt commune periculum, hi qui alijs indigent, non deſerantur ab his quibus indigent. Si enim perniciosſum eſt nautæ in tranquillitate navem deſerere, quantò magis in fluctibus ?* ut dicit Nicolaus Papa, & habetur 7. *quæſt.* 1. *&c.* His addit Cajetanus, in commentario ad hunc locum Sancti Thomæ, *Paſtor nec nomen Paſtoris meretur, ſi non perſonaliter attendat ſuo gregi.* Non enim quilibet ovium dominus, ſed ille tantùm qui paſcit ſuas, vocatur paſtor. Alioquin Principes habentes multos ovium greges, quos per alios paſcunt, Paſtores ovium eſſent ; quod falſum eſt. Epiſcopus autem eſt verè Paſtor, juxtà verbum Domini ad

Petrum

Petrum : Paſce oves meas. Ad hoc dicitur quòd Epiſcopus tenetur ex præcepto divini juris ad reſidendum perſonaliter in ſuo Epiſcopatu. Ad cujus evidentiam tria agenda ſunt. Primò monſtrabitur quòd hoc cadit ſub præcepto divino. Secundò ex qualitate præcepti redditur ratio contingentium. Tertiò ſatisfiet objectis. Quoad primum : Ad illud tenetur Epiſcopus ſub præcepto divino, quod neceſſarium eſt ad finem Epiſcopi, cui eſt cura animarum. Sed reſidentia Epiſcopi eſt neceſſaria ad curam animarum. Ergò Epiſcopus tenetur ad perſonaliter reſidendum in ſuo Epiſcopatu. Major propoſitio eſt per ſe nota, & patet inductivè. Conſtat namque quòd omnis qui ſimpliciter tenetur ad aliquid agendum, tenetur ad medium neceſſarium ad illam actionem. Dixi autem ſimpliciter, ad diſtinctionem eorum qui tenentur ex ſuppoſitione ; v. gr. famulus tenetur ad ſequendum dominum, ſi providetur ei de equo & expenſis : milites aliqui tenentur ad pugnandum, ſi providetur eis de armis,

mis, &c. Epiſcopus autem non ex ſuppoſitione, ſed abſolutè & ſimpliciter tenetur ad curam animarum, & propterea tenetur ad medium ſibi poſſibile, neceſſarium ad curam animarum. Nec ſolum tenetur, ſed eàdem neceſſitate, quà tenetur ad finem, tenetur ad medium: ex quo medium eſt ita neceſſarium, quòd ſine illo non poteſt finem conſequi; & quia conſtat quòd de neceſſitate præcepti divini juris tenetur Epiſcopus ad curam animarum, conſequens eſt, quòd etiam de neceſſitate præcepti teneatur ad medium neceſſarium ad curam animarum; & ſic patet Major. Minor autem, ſcilicet quòd Reſidentia perſonalis Epiſcopi eſt neceſſaria ad curam animarum, probatur: Epiſcopus tenetur ad curam animarum mediantibus his actibus perſonalibus, ſcilicet doctrinâ, miniſtratione Sacramentorum, conſecrationibus, viſitatione, cuſtodiâ ac diligentiâ. Ergò reſidentia perſonalis Epiſcopi eſt neceſſaria ad curam animarum. Conſequentia iſta eſt clariſſima. Antecedens quoad ſingulas ejus partes probatur. Quoad

Digitized by Google

ad doctrinam patet ex auctoritate Apoſtoli. (*a*) *Oportet Epiſcopum eſſe Doctorem:* Et non dicit: Oportet Epiſcopum habere Doctorem. Et in ordinatione Epiſcopi dicitur: *Vade, prædica populo* DEI; & non dicitur: Mitte ad prædicandum, &c. Quoad viſitationem, cuſtodiam, ac vigilantiam; patet ex eo, quòd niſi ad hæc perſonaliter teneretur, non eſſet ipſe Paſtor cuſtodiens gregem, & vigilans ſuper eo, ac viſitans ſingulas oves, ut cuique tribuat quod convenit, ſed ut dictum eſt, eſſet dominus ovium, habens Paſtorem ovium, illum ſcilicet mercenarium cui committit, quòd vigilet, cuſtodiat & viſitet. Et tamen liquidò conſtat Epiſcopos ipſos eſſe Paſtores ovium Chriſti; & ad illos ſpectant actus ſex (*b*) à Domino expreſſi, ſcilicet conſolidare infirmum, ſanare ægrotum, alligare confractum, reducere abjectum, requirere perditum, cuſtodire pingue ac forte. Ad illos denique, in Petro, dictum eſt: *Paſce*, non, *Paſcere fac oves meas, &c.* Quibus ſubſcribit *Domi-*



(*a*) *I. Timoth. cap.* 3. *v.* 2.

(*b*) *Ezech.* 34.

Digitized by Google

*nicus Soto* his verbis : (*a*) *Indubiè tenenda eſt pars affirmativa quam hic expreſsè D. Thomas in priore concluſione affirmat. Quando quidem ait, propter nullum imminens periculum perſonale licere Epiſcopo Eccleſiam ſuam tempore neceſſitatis deſerere.* Idque confirmat teſtimonio Chriſti, quod ideo in ſenſu præceptorio intelligit, ſic ſcilicet, quòd nemo ſit bonus Paſtor bonitate, quæ ad gratiam amicitiamque Dei retinendam neceſſaria eſt, niſi ubicunque neceſſitatis caſus occurrerit, cum periculo vitæ, gregi ſuo, favore & auxilio præſens uſque ad mortem adfuerit. Idque Auguſtinus, ſuprà ad Honoratum citatus, aſſeveranter enuntiat, dicens, quòd inſtante perſecutione, Epiſcopus non poteſt fugere, ſed exemplo Chriſti debet animam pro ovibus ſuis ponere. Verbum namque (*non poteſt*) neceſſitatem præcepti ſignificat. Unde S. Thomas ubi (*b*) ait, non ſemper charitatis neceſſitatem obligare hominem ad offerendam vitam pro amico; cauſam excipit quo tenetur ejus ſaluti providere, ad officium potentiſſimè Epiſcopi alludens. Ab hac ergo

(*a*) *De juſt. & jur. lib.* 10. *quæſt.* 3.

(*b*) 2. 2. *Quæſt.* 26. *art.* 5. *ad* 3.

Digitized by Google

ergo veritate, de qua nemo unquam ambigere quivit,. peregregium argumentum ſumitur, reſidentiam eſſe de jure divino. Nam ſi non eſſet niſi de jure poſitivo; cum Pontificia præcepta, ut quadrageſimale jejunium, & feſti obſervatio, ut *libr.* 1. ſcriptum reliquimus, non conſueverint uſque ad mortis periculum obligare; non facilè perſuaderet teneri Epiſcopum in periculo mortis reſidere, eò potiſſimùm quòd, ut ſupra viſum eſt, prædicti Auctores verbum Chriſti de ſe propriè aſſertum arbitrantur, & tamen ſi illud verbum neges vim habere præcepti, nihil relinquis, unde inferatur teneri Epiſcopum, tempore neceſſitatis, vitam pro ſuo grege ponere, quæ tamen omnium eſt generalis confeſſio, &c.

Quare, & ſi Cajetanus impræſentiarum easdem cauſas ſub tribus generibus complectatur, quæ ſunt, neceſſitas impedimenti, qualitas negocij, & conditio perſonæ; ad commodum tamen Eccleſiæ ſunt omnes referendæ. Propter ignaviam & perniencioſiſſimam Epiſcoporum aliorumque Paſtorum

incuriam cuncta ſunt hæreticis plena, qui Sacramenta omnia execrantur, blaſphemijſque conſpurcant. Unde ſequitur: (*a*) *Et ecce projiciam à vobis brachium, ſeu armum, quod eſt robur dignitatis veſtræ, & regiminis baculum. Ac demùm diſpergam ſuper vultum veſtrum ventriculum ſolemnitatum veſtrarum.*

Simile eſt apud alium Prophetam; (*b*) *O Paſtor, & idolum derelinquens gregem.* Ad vivum profectò exprimit naturam, ingeniumque Paſtoris derelinquentis gregem. Eſt enim nil aliud quàm Paſtoris idolum, nempe imaginem tantùm præ ſe foris gerens, & perſonam Paſtoris, ut ſculptus lapis, re tamen ipsâ carens. *Gladius ſuper brachium ejus*, hoc eſt, ſuper regiminis poteſtatem. *Et ſuper dextrum oculum ejus*, puta, ſuper rectum ſenſum & judicium. Nam poſtquam ſua libido eos coegit Eccleſiæ gubernaculum deſerere, illicò eis ſuadere incipit, non eâ obligatione teneri, quam ſapiens docet, quod eſt oculum dextrum eruere. Utinam

(*a*) *Malach.* 23.
(*b*) *Zach.* 11.

Digitized by Google

Utinam ille, qui lux venit in mundum, quotquot ſuper candelabrum Eccleſiæ ſuæ erexit, ſic illuminet & inflammet, ut jura ſui muneris tum clarè cognoſcant, tum & charitatis ardore moribus exhibeant.

Ex quibus omnibus facilè quivis intelliget, hoc tempore plurimos Epiſcopos, in maximo periculo ſalutis amittendæ verſari. Ut enim Auctores citati evidenter probant: Epiſcopus non poteſt deſerere gregem, niſi ad tempus ob urgentiſſimas cauſas, quia debet per ſe paſcere, & cuſtodire gregem, & ſuper ipſum invigilare, & rationem reddere Deo de ſingulis ſuis ſubditis qui pereunt. Vide & attentiſſimè lege Concilium Tridentinum; (a) nec ſolùm attentiſſimè lege, quæ Spiritus Sanctus per Concilium docuit; ſed cogita & recogita ſingula verba, cauſas ibi redditas, pœnas appoſitas; & niſi penitùs excœcatum cor habeas, intelliges Reſidentiam omninò eſſe neceſſariam. Concilium ſic habet: *Sacroſancta ſynodus, eiſdem præſidentibus*

(a) *Seſſ.* 5. *cap.* 1. *de Reform.*

*tibus Apoſtolicæ Sedis Legatis, ad reſtituendam collapſam admodùm Eccleſiaſticam diſciplinam, depravatoſque in Clero & Populo Chriſtiano mores emendandos ſe accingere volens; ab ijs qui majoribus Eccleſijs præſunt, initium cenſuit eſſe ſumendum. Integritas enim præſidentium ſalus eſt ſubditorum. Confidens itaque per Domini & DEI noſtri miſericordiam, providamque ipſius Dei in terris Vicarij ſolertiam, omninò futurum, ut ad Eccleſiarum regimen, onus quippe Angelicis humeris formidandum, qui maximè digni fuerint, quorumque prior vita ac omnis ætas à puerilibus exordijs uſque ad perfectiores annos per diſciplinæ ſtipendia Eccleſiaſticæ laudabiliter acta, teſtimonium præbeant, ſecundùm venerabiles Beatorum Patrum ſanctiones, aſſumantur. Omnes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis, & Cathedralibus Eccleſiis quibuscunque, quovis nomine ac titulo præfectos monet, ac monitos eſſe vult, ut attendentes ſibi & univerſo gregi, in quo Spiritus Sanctus poſuit eos regere Eccleſiam DEI, quam acquiſivit ſanguine ſuo, vigilent, ſicut Apoſtolus præcipit, in omnibus laborent, & miniſterium ſuum impleant. Implere autem illud*

*ſe*

*ſe nequaquàm poſſe ſciant, ſi greges ſibi commiſſos, mercenariorum more, deſerant, atque ovium ſuarum, quarum ſanguis de eorum manibus à ſupremo Judice requirendus, cuſtodiæ minimè incumbant: cum certiſſimum ſit non admitti Paſtoris excuſationem, ſi lupus oves comedit, & Paſtor neſcit. Ac nihilominùs quia nonnulli, quod vehementer dolendum eſt, hoc tempore reperiuntur, qui propriæ ſalutis immemores, terrenaque cæleſtibus, ac divinis humana præferentes, in diverſis curijs vagantur, aut in negotiorum temporalium ſollicitudine, ovili derelicto, atquè ovium ſibi commiſſarum curâ neglectâ, ſe detinent occupatos: placuit ſacroſanctæ Synodo, antiquos Canones, qui temporum atque hominum injuriâ penè in deſuetudinem abierunt, adverſùs non reſidentes promulgatos, innovare, quemadmodùm virtute præſentis decreti innovat; ac ulteriùs pro firmiori eorum reſidentia, & reformandis in Eccleſia moribus, in hunc, qui ſequitur, modum, ſtatuere atque ſancire. Si quis à Patriarchali, Primatiali, Metropolitana, ſeu Cathedrali Eccleſia, ſibi quocunquè titulo, causâ, nomine, ſeu jure commiſſa, quâcumque ille*

*dignitate*

*dignitate, gradu & praeminentiâ præfulgeat,* *legitimo impedimento, ſeu juſtis & rationabilibus cauſis ceſſantibus, ſex menſibus continuis, extrà ſuam diœceſim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni, fabricæ Eccleſiæ, pauperibus loci, per ſuperiorem Eccleſiaſticum applicandorum, pœnam ipſo jure incurrat. Quòd ſi per alios ſex menſes in hujuſmodi abſentia perſeveraverit, aliam partem quartam fructuum ſimiliter applicandam eo ipſo amittat. Creſcente verò contumaciâ, ut ſeveriori ſacrorum Canonum cenſuræ ſubijciatur, Metropolitanus Suffraganeos Epiſcopos abſentes, Metropolitanum verò abſentem Suffraganeus Epiſcopus antiquior reſidens, pœnâ interdicti ingreſſus Eccleſiæ eo ipſo incurrendâ, infra tres menſes per literas, ſeu nuncium, Romano Pontifici denunciare teneatur, qui in ipſos abſentes, prout cujuſque major aut minor contumacia exegerit, ſupremæ ſedis auctoritate animadvertere, & Eccleſijs ipſis de Paſtoribus utilioribus providere poterit, ſicut in Domino noverit ſalubriter expedire.* Idem Concilium (*a*) ſic loquitur. *Cum præcepto divino mandatum ſit omnibus, quibus animarum cura commiſſa eſt, oves ſuas agnoſcere, pro his ſacrificium offerre,*

(*a*) *Seſs. 23. Cap. I. de reform.*

*offerre, verbique divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in cetera munera paſtoralia incumbere: quæ omnia nequaquàm ab ijs præſtari, & impleri poſſunt, qui gregi ſuo non invigilant, neque aſſiſtunt, ſed mercenariorum more deſerunt; ſacroſancta Synodus eos admonet, & hortatur, ut divinorum præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio, & veritate paſcant, & regant.*

# TERTIA
# CONTROVERSIA.
## DE OFFICIO EPISCOPI.
### *An videlicet teneatur per ſe prædicare.*

Et quidem conſuetudo communis invaluit, ut per alios prædicetur. Sed veritas, aut certè ſecurior ſententia eſt, quòd per ſe prædicare teneatur. Id enim etiam nunc docet Epiſcopalis Conſecratio, in qua dicitur: *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commiſſo.* Idem do-



Digitized by Google

cet Concilium Tridentinum noſtro tempore celebratum, (*a*) cujus hæc verba ſunt: *Quia verò Chriſtianæ Reipublicæ non minùs neceſſaria eſt prædicatio Evangelij quàm lectio, hoc eſt, præcipuum Epiſcoporum munus; ſtatuit & decrevit eadem ſancta Synodus omnes Epiſcopos, Archiepiſcopos, Primates, & omnes alios Eccleſiarum Prælatos, teneri per ſe ipſos, ſi legitimè impediti non fuerint, ad prædicandum ſanctum JESU Chriſti Evangelium. Si verò contigerit Epiſcopos & alios prædictos, legitimo detineri impedimento, juxtà formam generalis Concilij, viros idoneos aſſumere teneantur ad hujuſmodi prædicationis officium ſalubriter exequendum. Si quis autem hoc adimplere contempſerit, diſtrictæ ſubjaceat ultioni. Archipresbyteri quoque, Plebani, &c.*

Idem docet nomen Paſtoris: dixit enim Dominus Petro, & in eo omnibus Epiſcopis, *Paſce oves meas*, & non dixit, cura ut ſint qui paſcant oves: & idem Dominus explicans officium Paſtoris (*b*) dixit: *Oves Paſtorem ſequuntur, & vocem ejus audiunt.*

(*a*) *Seſſion.* 5. & 24.
(*b*) *Joann.* 10.

*audiunt.* Sed illa Sancti Pauli (*a*) præcipuè notanda ſunt: *Conteſtor vos hodiernâ die, quia mundus ſum à ſanguine omnium; non enim ſubterfugi quominùs annunciarem omne conſilium DEI vobis.* Et paulò poſt: *Vos ſcitis, quoniam nihil ſubtraxerim vobis utilium, quominùs annuntiarem vobis & docerem publicè, & per domos.* Quibus Apoſtoli verbis conſonant verba Ezechielis Prophetæ, (*b*) *Et tu, fili hominis, ſpeculatorem dedi te domui Iſrael: ſi me dicente ad impium, morte morieris, impie; non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius à via ſua; ipſe impius in iniquitate ſua morietur: ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Adde quòd Apoſtoli, & eorum ſucceſſores legatione funguntur pro Chriſto, ut Apoſtolus loquitur in epiſtola poſteriore ad Corinthios (*c*). Chriſtus autem ad prædicandum Evangelium ſe miſſum & fuiſſe dicit: (*d*) *Spiritus Domini ſuper me,* inquit per Iſaiam, *propter quòd unxit me, evangelizare*



(*a*) *Actor.* 20.

(*b*) *Cap.* 33.

(*c*) *I I. Corinth.* 5.

(*d*) *Iſaiæ* 61.

Digitized by Google

*zare pauperibus miſit me.* Atque hunc locum ipſe de ſe expoſuit in Evangelio apud Lucam ; & Apoſtolis idem ipſe dixit : ( *a* ) *Sicut miſit me Pater , & ego mitto vos.* Et alibi : ( *b* ) *Euntes in mundum univerſum , prædicate Evangelium omni creaturæ.* Et Apoſtolus Paulus , qui de ſe dixerat : (*c*) *Si evangelizavero, non eſt mihi gloria ; neceſſitas enim mihi incumbit : væ enim mihi , ſi non evangelizavero.* Idem ipſe admonet Timotheum Epiſcopum , & in eo Epiſcopos ceteros , qui in hoc officio Apoſtolis ſucceſſerunt : ( *d* ) *Prædica verbum , inſta opportunè , importunè , argue , obſecra , increpa in omni patientia & doctrina.* Hoc ipſum declarat Concilium Carthaginenſe quartum , quod officium Epiſcopi deſcribens dicit , Epiſcopum debere tantummodò vacare lectioni , orationi , & prædicationi verbi DEI , cetera per alios facere. Nunc verò plerique Epiſcopi prædicationem alijs committunt , temporalia

( *a* ) *Lucæ* 4. *Joan.* 20.

( *b* ) *Marci* 16.

( *c* ) *I. Corinth.* 9.

( *d* ) *I. Timoth.* 4.

Digitized by Google

lia negotia, quaſi propria, ſibi vendicant. Utri rectius faciant, Sanctus Gregorius judex eſto. Ille certè ſic loquitur (*a*) ad Dominicum Epiſcopum Carthaginenſem: *Epiſcopi eſt de prædicationis miniſterio ſemper cogitare.* Sed ante Sanctum Gregorium, Apoſtolos diſertis verbis dixiſſe legitur: (*b*) *Non eſt æquum nos derelinquere verbum DEI & miniſtrare menſis: conſiderate ergo, fratres, viros ex vobis boni teſtimonij ſeptem, plenos Spiritu Sancto, & ſapientiâ, quos conſtituamus ſuper hoc opus: nos verò orationi, & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Verum quidem eſt, hoc noſtro tempore, multos ex Ordinibus Religioſis concionatores inveniri. Sed non ideò Epiſcopi ceſſare debent à miniſterio verbi, ad quod propriè ordinati ſunt, cum in Ordinatione ſeu Conſecratione, hoc etiam tempore, illis dicatur: *Accipe Evangelium, vade, prædica populo tibi commiſſo.* Itaque Regulares coadjutores ſunt Epiſcoporum, qui non facilè poſſunt in tota ſua Diœceſi verbum Dei prædicare, & omnes oves ſuas paſcere.

Hinc

(*a*) *Lib.* 2. *Epiſt.* 30.
(*b*) *Actorum* 6.

Digitized by Google

Hinc enim & Dominus noſter Apoſtolos duodecim, & Diſcipulos ſeptuaginta duos miſit ad prædicandum, & ipſe tamen officium prædicationis nunquam dimiſit. Summa eſt, Epiſcopo Cathedram in Eccleſia ſublimem erigi, ut ex eo loco populum admoneat, doceat, arguat, increpet: quod niſi fecerit, rationem Domino reddet, cur multi perierint, qui ſi vocem Paſtoris audiviſſent, ſalvari omninò potuiſſent.

# QUARTA CONTROVERSIA, EST DE PERFECTIONE VITÆ CHRISTIANÆ.

*An Epiſcopus teneatur eſſe perfectus.*

Et quod teneatur, docent omnes Scriptores, ac præſertim S. Thomas, qui comparans Religioſos cum Epiſcopis dicit, majorem perfectionem requiri in Epiſcopis, quam in Religioſis. Ipſum audiamus; ſic enim reſpondet. (*a*) *Dicendum*

(*a*) 2. 2. q. 184. *Art.* 7.

Digitized by Google

*dum quòd ſicut Auguſtinus dicit lib.* **12.** *cap.* **6.** *ſuper Geneſim ad litteram , ſemper agens præſtantius eſt patiente ; in genere autem perfectionis , ſecundùm Dionyſium , Epiſcopi ſe habent ut perfectiores , Religioſi autem ut perfecti : Quorum unum pertinet ad actionem , alterum autem ad paſſionem ; unde manifeſtum eſt , quòd ſtatus perfectionis potior eſt in Epiſcopis quàm in Religioſis.*

Quod confirmatur ex verbis Apoſtoli : ( *a* ) *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum :* & ex verbis Domini : ( *b* ) *Vos eſtis ſal terræ , & lux mundi.* Hæc igitur eſt veritas ; ſed non omnes capiunt verbum iſtud. Religioſi ſunt in ſtatu perfectionis acquirendæ , quia faciunt tria vota , paupertatis contrà affectum divitiarum ; caſtitatis contrà concupiſcentiam carnis ; obedientiæ , contrà ſuperbiam vitæ . Epiſcopus igitur , qui eſt in ſtatu perfectionis adeptæ , tenetur eſſe perfectus , id eſt , ardentiſſimâ charitate Dei & proximi præditus ; ita ut divitias Eccleſiæ ſuæ non ſuas eſſe exiſtimet , & non habeat ad poſſidendum tanquam proprias , ſed ad diſpenſandum ,

( *a* ) *Timoth.* **2.**
( *b* ) *Math.* **5.**

Digitized by Google

ſandum, ut alienas. Item tenetur eſſe perfectus in charitate Dei, & proximi circà caſtitatem, ut Angelicâ puritate Deo miniſtret, & viros ac mulieres, quibus præeſt, verè diligat ut filios, & filias, & nullam unquam ſuſpicionem incontinentiæ illis tribuat: proinde non habere domi perſonam ullam, vel ob adoleſcentiam, vel ob ornatum, ad quam carnali affectione propenſus credatur: foris autem cùm nulla unquam muliere ſine teſtibus loquatur, atque id potiſſimùm ergà ſanctimoniales obſervet: incredibile enim eſt, quàm contemptibilis reddatur Epiſcopus, ſi aut verbis, aut factis ullum ſignum incontinentiæ dederit. Denique perfectus eſſe debet circà humilitatem & obedientiam DEI, & Superiorum mandata, ac præcipuè erga illud à Sancto Joanne Evangeliſta (*a*) promulgatum: *Debemus pro fratribus animas ponere, ac multò magis divitias, quietem, delicias & commoda omnia.* Quemadmodum autem hæc perfectio acquiri poſſit, egregiè docet Sanctus Gregorius in libro de cura Paſtorali parte ſecunda.

(*a*) *Epiſtola I.*

Digitized by Google

cunda. Sed quamvis tota illa pars legenda ſit cupienti ad vitæ perfectionem pervenire; tamen inprimis duæ ſententiæ conſiderandæ eſſe videntur, una quæ docet, quanta perfectio in Paſtore requiratur, altera quæ paucis exponit, quibus in rebus illa perfectio poſita ſit. De priore ſententia ſic loquitur Sanctus Gregorius. *Tantum debet actionem populi actio tranſcendere Præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita Paſtoris.* Ex hac Gregorij ſententia apertè colligitur, tantò ſapientiorem & ſanctiorem eſſe debere Epiſcopum, ſi comparetur ad homines ſuæ curæ ſubjectos, quantò ſapientior & ſanctior eſt homo pecudibus. Pecudes certè, cum ratione careant, omnia ſenſibus metiuntur, ac per hoc ſapientiæ & ſanctitatis omninò expertes ſunt: homines ad imaginem Dei creati, ſapientiæ & ſanctitatis capaces inveniuntur. Proinde diſcrimen inter homines & pecora, quòd ad ſapientiam & ſanctitatem attinet, propemodùm infinitum dici poteſt. Cogitet igitur Epiſcopus futurus, quanta in eo ſanctitatis, & ſapientiæ eminentia eſſe debeat; cum ad ejus comparationem

homines illi ſubjecti, non homines ratione præditi, ſed oves rationis expertes dici poſſe videantur. Hæc ſi apud ſe diligenter perpenderent, qui ad Epiſcopatum aſpirant; fortaſſe non ſolùm non quærerent ſedem illam honoris plenam; ſed vix compulſi & coacti illam conſcenderent. Veniamus ad alteram S. Gregorij ſententiam, quæ non metaphorica, ſed propria, non obſcura, ſed clariſſima eſt. *Sit Præſul ſingulis compaſſione proximus, præ cunctis contemplatione ſuſpenſus.* Hæc ſententia id propriè ſignificare videtur, debere Epiſcopum perfectiones vitæ activæ & contemplativæ ſimul conjunctas veriſſimè poſſidere; cum tamen conſtet, perfectionem vitæ activæ, quæ in charitate perfecta erga proximos poſita eſt, paucorum eſſe; perfectionem vitæ contemplativæ, quæ poſita eſt in charitate perfecta erga Deum, adhuc pauciorum. Cogitet igitur, & recogitet diligenter futurus Epiſcopus, quanta res ſit ea perfectio vitæ quæ neceſſaria Epiſcopis eſt, cum ad apicem perfectionis activæ ſimul & contemplativæ pervenire debeat. Hanc vitæ ſublimitatem exemplo ſuo Chriſtus

Digitized by Google

Chriſtus docuit (*a*) cum totos dies conſumeret in charitate proximorum, docendo, exhortando, excitando, increpando; & noctes totas conſumeret in charitate Dei, orando, contemplando, laudando, magnificando Deum. Hanc eandem Apoſtoli exemplo ſuo docuerunt, (*b*) cum aſſiduè prædicationi, & orationi intenti eſſent. Hanc denique Epiſcopi Apoſtolorum Succeſſores, imitari & aſſequi totis viribus debent; ſi quibus ſuccedunt in officio paſtorali, eorum conſortes inveniri cupiunt in æterna felicitate. Hæc perfectio excludit ludos, venationes, lectionem librorum vanorum, & occupationes temporales, & alia id genus omnia. Proinde munus Epiſcopi eſt vita laborioſiſſima; ſed magnam habet remunerationem.

(*a*) *Luc.* 21. 11. 37.

(*b*) *Actorum* 6.

# QUINTA CONTROVFRSIA

## EST DE ORDINATIO NE CLERICORUM.

*An liceat, vel expediat multos ordinare.*

IN hac re multi falluntur, qui exiſtimant multiplicandum eſſe Clerum, & ideò ſine magno delectu manus imponunt. Optandum quidem eſt, ut multi Clericatu digni inveniantur; ſed indignos promovere, eſt Eccleſiam evertere. Ideò Beatus Apoſtolus clamat: (*a*) *Nemini citò manus impoſueris.* Et Concilium Tridentinum (*b*) jubet, ut nullus ordinetur ad titulum patrimonij, niſi pro neceſſitate, vel utilitate Eccleſiæ. Sic enim habet: *Cum nullus debeat ordinari, qui judicio ſui Epiſcopi non ſit utilis, aut neceſſarius ſuis Eccleſijs, Sancta Synodus, veſtigijs ſexti Canonis Concilij Chalcedonenſis inhærendo, ſtatuit, ut nullus impoſterùm ordinetur, qui illi Eccleſiæ, aut pio loco, pro cujus neceſſitate aſſumitur*

(*a*) *I. Timoth.* 5.
(*b*) *Seſſ.* 23. *Cap.* 16. *de Reform.*

Digitized by Google

*mitur, aut utilitate, non adſcribatur, ubi ſuis fungatur muneribus, &c.* Proinde maximus eſt abuſus ordinare quoslibet ad titulum patrimonij. Plurimi enim ordinari cupiunt pro utilitate ſua, non Eccleſiæ, & de celebratione Miſſæ faciunt artem de pane lucrando. Unde ſacerdotium contemptibile redditur, & Eccleſia ſcandalis patet.

Imitari deberent Epiſcopi ſanctos Pontifices Romanos, qui in primordijs Eccleſiæ parciſſimi erant in Presbyteris ordinandis. Quos autem Presbyteros ſinguli Pontifices ordinaverint, cognoſci poteſt ex Anaſtaſio Bibliothecario, qui vitas Pontificum fideliter deſcripſit, & ad finem ſemper addit, quot Epiſcopos, Presbyteros, & Diaconos unuſquiſque Pontifex ordinaverit. Fuiſſe autem Romanam Eccleſiam etiam inter perſecutores ampliſſimam & numeroſiſſimam, teſtantur Auctores duo graviſſimi, & antiquiſſimi, Sanctus Cornelius Papa & Martyr, & Sanctus Irenæus Epiſcopus & Martyr. Sanctus Cornelius Epiſtolam ſcripſit ad Fabium Epiſcopum Antiochenum, quæ extat apud

Digitized by Google

apud Euſebium Cæſarienſem in Hiſtoria Eccleſiaſtica. In ea epiſtola ſcribit, in urbe Roma fuiſſe tunc innummerabilem Chriſtiani populi frequentiam, & ex redditibus Eccleſiæ ſuſtentari ſolitos ſupra mille quingentos pauperes & ægrotos: & Clerum fuiſſe numeroſiſſimum, videlicet Presbyteros quadraginta ſex, Diaconos ſeptem, Subdiaconos ſeptem, Acolythos quadraginta duos. Sanctus Irenæus, centum ferè annis Sancto Cornelio antiquior, (a) Romanam Eccleſiam dicit tempore ſuo fuiſſe maximam & antiquiſſimam, & omnibus notam. Videamus ergo in hac maxima & numeroſiſſima Eccleſia quàm parci fuerint Pontifices in Presbyteris ordinandis. Sanctus Linus, Sancti Petri Succeſſor, ordinavit Presbyteros decem & octo, toto ſui Pontificatûs tempore, quod fuit annorum quindecim. Sanctus Clemens ſedit annos novem, ordinavit Presbyteros decem, Diaconos undecim. Sanctus Anacletus ſedit annos novem, ordinavit Presbyteros quinque, Diaconos tres. Sanctus Evariſtus

(a) *Lib. tertio contrà hæreſes.*

Digitized by Google

Evariſtus ſedit annos tredecim, & ampliùs, ordinavit Presbyteros ſex, Diaconos duos. Sanctus Alexander ſedit annos octo, menſes quinque, ordinavit Presbyteros ſex, Diaconos duos. Sanctus Sixtus ſedit annos decem, & amplius, ordinavit Presbyteros undecim, Diaconos quatuor. Sanctus Telesphorus ſedit annos undecim, & ampliùs, ordinavit Presbyteros duodecim, Diaconos octo. S. Hyginus ſedít annos quatuor, ordinavit Presbyteros quindecim, Diaconos quinque. Sanctus Anicetus ſedit annos novem, & ampliùs, ordinavit Presbyteros ſeptemdecim, Diaconos quatuor. Sanctus Pius ſedit annos novemdecím, ordinavit Presbyteros decem & octo, Diaconos viginti. Sanctus Soter ſedit annos novem & ampliùs, ordinavit Presbyteros octo, Diaconos novem. Sanctus Eleutherius ſedit annos quindecim, ordínavit Presbyteros duodecim, Díaconos octo. Sanctus Victor ſedít annos decem, ordinavit Presbyteros quatuor, Diaconos ſeptem. Sanctus Zephirinus ſedit annos ſeptemdecim, ordinavit Presbyteros novem, Diaconos ſeptem.

Nolo

Nolo ulteriùs progredi, deſcripſi enim ordinationes Presbyterorum, & Diaconorum Romæ factas per annos circiter ducentos à Pontificibus quindecim, quorum nullus exceſſit numerum Presbyterorum decem & octo, etiamſi diù vixerit & multas ordinationes celebraverit. Hâc certè parte parcitas tantorum Pontificum deberet omnes Epiſcopos ſeriò admonere, ut non niſi viros doctores & probos, & eo gradu dignos eligerent; quod omninò facient, ſi decorem domûs Domini ex animo diligant.

# SEXTA
# CONTROVERSIA
## EST
### *De multiplicatione Beneficiorum.*

ET quidem Sacri Canones horrent multiplicitatem beneficiorum, ut patet *Diſt.* 86. *Can. Singula.* Ait Canon: *Singula Eccleſiaſtici juris officia ſingulis quibuſque perſonis ſingulatim committi jubemus.* Sicut enim in uno corpore multa membra habe-

habemus, omnia autem membra non eundem actum habent; ita in Eccleſiæ corpore, ſecundùm veridicam Pauli ſententiam, in uno eodemque ſpiritu, alij conferendum eſt hoc officium, alij committendum eſt illud; neque uni quantumlibet exercitatæ perſonæ, uno tempore duarum rerum officia committenda ſunt; quia ſi totum corpus eſt oculus, ubi auditus? ſicut enim varietas membrorum, per diverſa officia, & robur corporis ſervat, & pulchritudinem repræſentat: ita varietas perſonarum, per diverſa nihilominùs officia diſtributa, & fortitudinem & venuſtatem Sanctæ Dei Eccleſiæ manifeſtat. Et ſicut indecorum eſt ut in corpore humano alterum membrorum alterius fungatur officio; ita nimirùm noxium ſimùlque turpiſſimum, ſi ſingula rerum miniſteria perſonis totidem non fuerint diſtributa.

Et Canon, *Clericus* 21. *quæſt.* 1. hanc adfert rationem: *Aut enim unum odio habebit & alterum diliget; aut unum ſuſtinebit & alterum contemnet.* Noviſſimè verò Concilium Tridentinum (*a*)

(*a*) *Seſſ.* 7. *cap.* 2.

diſtrictiſſimè id præcipit : *Nemo*, inquit, *quicumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentiâ præfulgens, plures Metropolitanas, ſeu Cathedrales Eccleſias, in titulum, ſive commendam, aut alio quovis nomine, contrà Sacrorum Canonum inſtituta, recipere & ſimul retinere præſumat; cum valdè felix ſit ille cenſendus, cui unam Eccleſiam bene ac fructuosè, & cum animarum ſibi commiſſarum ſalute, regere contigerit. Qui autem plures Eccleſias, contrà præſentis decreti tenorem, nunc detinent, unâ quam maluerint retentâ, reliquas infrà ſex menſes, ſi ad liberam Sedis Apoſtolicæ diſpoſitionem pertineant, aliàs infrà annum dimittere teneantur, alioquin Eccleſiæ ipſæ, ultimò obtentâ dumtaxat exceptâ, eo ipſo vacare cenſeantur.* Quod & idem poſteà repetit. (*a*)

Sed quia multi multa beneficia ex diſpenſatione Pontificia poſſident: ſciendum eſt, Pontificiam diſpenſationem, quando non adeſt juſta cauſa diſpenſandi, valere in foro fori, ſed non in foro poli, ut apertè docet Sanctus Thomas, (*b*) qui poſtquam retuliſſet illa verba Sancti Bernardi:

(*a*) *Seſſ.* 24. *Cap.* 13. & 17.
(*b*) *Quodlibeto* 9. *Art.* 15.

Qui

*Qui non unus, ſed plures eſt in beneficijs; non unus, ſed plures erit in ſupplicijs.* Poſteà hæc addit: *Habere plures præbendas, plurimas in ſe inordinationes continet.* Ut quia non eſt poſſibile, aliquem in pluribus Eccleſijs deſervire, in quibus eſt præbendatus; cum præbendæ videantur eſſe ordinatæ, quaſi quædam ſtipendia DEO ibidem miniſtrantium: ſequitur etiam diminutio cultûs divini, dum unus loco plurium inſtituitur: ſequitur etiam in aliquibus defraudatio voluntatum teſtatorum, qui ad hoc aliqua bona contulerunt, ut certus numerus Deo deſervientium ibi eſſet: ſequitur etiam inæqualitas, dum unus pluribus beneficijs abundat, & alius nec unum habere poteſt; & multa alia, quæ de facili patent &c.

Aliæ tamen circumſtantiæ poſſunt ſupervenire ita honeſtantes actum, quòd prædictæ inordinationes totaliter evacuantur, ut puta, ſi ſit neceſſitas in pluribus Eccleſijs ejus obſequio, & poſſit plus ſervire Eccleſiæ, vel tantundem abſens, quàm alius præſens, & ſi quæ alia ſunt hujuſmodi; & tunc iſtis conditionibus ſuperve-

nientibus cum recta intentione, non erit peccatum etiam nullâ diſpenſatione interveniente, ſi conſideretur tantùm jus naturale, quia diſpenſatio ad jus naturale non pertinet, ſed ſolùm ad poſitivum, &c.

Si autem antiqua jura ſunt per conſuetudinem abrogata, tunc prædictis circumſtantijs ſupervenientibus etiam ſine diſpenſatione licitum eſt plures præbendas habere, ſine quibus circumſtantijs licitum non eſt, quantùmcumque diſpenſatio interveniat, eò quòd diſpenſatio humana non aufert ligamen juris poſitivi, quod per hominem ſtatuitur, & per hominem diſpenſari poteſt.

Idem docet Dominicus à Soto, (*a*) cujus hæc verba ſunt: *Habere plures præbendas, ſi nudè ſpectetur, ſtatim ſonat quaſdam ordinis perverſiones.* Primùm, quia ratio docet, ut unicuique miniſterio ſuus propriè deputetur miniſter; aliàs unus plurium perſonas induit. 2. Cultus divinus detrimentum patitur. 3. Cum bona hæc, ut diximus, ſtipen-

(*a*) *Lib.* 3. *de juſt. & jur. Q.* 6. *art.* 3.

Digitized by Google

ſtipendia ſint Ecclaſiarum, ſuo defraudantur jure. 4. Inde ſequitur juſtitiæ diſtributivæ prævaricatio, videlicet, ut multi digni egeant, alij verò abundent. 5. Eſca & fomentum ambitionis inde ſubminiſtratur: nam interdictâ præbendarum accumulatione, Sacerdotes non tam avidè ſitirent atque ambirent bonis Eccleſiæ ditari, &c. Id in cauſa eſt ut literarum ſtudia neglecta jaceant: utrinque etenim ſpes bonorum debilitatur, ſcilicet, & quòd meritorum ratio non habetur, & quòd avida ditiorum avaritia impedimento eſt, ne inopes promoveantur. Quia verò 6. & transgreſſio quædam eſt illius Paulini præcepti, *Unuſquiſque in ea vocatione qua vocatus eſt maneat.* Atque illius præterea ad Roman. 12. *ſicut in uno corpore multa membra habemus.* Quod Gregorius ad hoc citavit 86. *diſt. Can. Singula.* &c.

Hujuſmodi beneficiorum coacervationes ſive per diſpenſationem fiant, ſive ſecùs, carere non poſſunt culpâ etiam quandòque mortali, atque ſcandalo, in Eccleſiarum detrimentum, idque po-

tiſſimè

tiſſimè ubi nimis accumulantur, & perſonis deputantur indignis. Concluſio hæc inter probandam concluſionem 2. conſiſtit. Jam enim nulla ſpectantur aut deſiderantur merita; ſed perinde, quin etiam turpiùs, atque impudentiùs quàm ſæcularia & prophana ambiuntur, cambiuntur, veneunt, hæreditantur, regreſſantur, prophanantur, ac dilapidantur. 7. Concluſio. Parœciæ, & id genus ſacerdotia, quæ in animarum curam inſtituta ſunt, uſque adeò non poſſunt, abſque legitima diſpenſatione, ab eadem obtineri perſona, ut ſi legitima non fuerit, nequeant tutò in foro conſcientiæ apud Deum poſſideri.

Non ſolùm ſententia eſt D. Thomæ, *Quodlibeto citato*, atque Adriani de *pluralitate Benef.* verùm & ſacri Canones id inſinuant, eorumque Interpretes apertè pronuntiant: quin verò Doctores concluſionem non moderantur, ut de illis ſolis intelligatur, ſed de cunctis (quod veriſſimum eſt) quæ diſpenſatione indigent ut poſſideantur. Eſt tamen enormitas turpior in his quæ curam habent anima,

animarum. Itaque & Papa ſine legitima cauſa diſpenſans graviter delinquit, & ejus delictum non liberat ambientem, obtinentem, & retinentem, à culpa, &c. Nam etſi jura ſupràcitata plenariam ei tribuant poteſtatem diſpenſandi; id tamen intelligunt, quia non habet ſuperiorem in terra à quo poſſit judicari. Mittimus Concilium in cauſa hæreſis: attamen apud Deum exactiſſimè reſpondere tenetur, ſi fidem in diſpenſatione defregerit. Ratio ergo concluſionis eſt hæc: ſacerdotia quæ curam habent annexam, rectè nequeunt adminiſtrare ſine præſentia. Tanta eſt vigilantia, quæ animabus curandis ac proſpiciendis neceſſaria eſt. Reſidere autem ſimùl nemo poteſt in Eccleſijs pluribus. Ergo ſine urgentiſſima cauſa, eademque Eccleſiæ neceſſaria, non poteſt citrà atrocem culpam ſuper hoc diſpenſari. Sed ſit fortè ille cum quo diſpenſatum eſt: Papa diſpenſavit, ipſe ſibi viderit, egò immunis ſum. Hic tamen cavillus ſecuros multos reddit, tutum verò nemi-

neminem ; quoniam Papa non eſt Dominus, ut itentidem dictum eſt, ſed diſpenſator, ideòque qui iniquam diſpenſationem petit, iniquitatis cauſa eſt; & qui eâ utitur, eâdem ſemper irretitur iniquitate.

Idem quoque Panormitanus, (*a*) his verbis. „ Nota 5. quòd detinens plura beneficia „ minùs canonicè, incidit in multa vitia, in „ transgreſſionis notam & infamiam : ſaltem eſt „ infamia canonica, & quæ ſit iſta infamia cano„ nica, & in quo differat à civili, vide quod „ dixi in *cap. teſtimonium de teſtibus.* 2. Incidit „ in cupiditatis vitium, quod maximum eſt; „ unde impedit quem promoveri ad dignitates. „ Nam cupidus de facili deviat à vero, *in cap. vi-* „ *rum.* 47. *diſt. & in cap.* 10. In principio illius diſt. „ ubi dicitur quòd authoritate Apoſtoli, cupidi „ prohibentur promoveri. Et 3. Committit fur„ tum, nec ſimplex furtum, immò, cum ſacrile„ gio

(*a*) *C. dudum.* 2. *de Electione.*

„ gio, poteſt dici furtum peculatûs, id eſt, fur-
„ tum de republica, quod eſt gravius, &c.

Nota verbum: quòd diſpenſatus etiam per Papam circà pluralitatem iſtorum beneficiorum ſine cauſa, etiamſi ſit tutus quoad Eccleſiam militantem, non tamen quoad triumphantem; & ſic non videtur diſpenſatio quoad Deum, &c. Idem denique docet Adrianus *in quæſt. de reſtitutione, dub. de pluralitate prædendarum*, Jo. Major *in 4. diſt. 24. quæſt. 12. 13. & 14.* Jo. Andreas *&* Hoſtienſ. *in c.* Dudum *ſuprà citato.* Vide Dionyſium Carthuſianum libro contrà multiplicitatem beneficiorum, & Thomam Cantipratanum *lib.* 1. de proprietatibus apum, *cap.* 19. ubi refert determinationem de hac re factam Pariſijs anno 1238. à plurimis doctiſſimis Theologis: inter quos probabile eſt fuiſſe S. Thomam & S. Bonaventuram. Summa determinationis fuit: damnabile eſſe plura beneficia poſſidere.



Digitized by Google

# SEPTIMA CONTROVERSIA EST

*De modo agendi cum Principibus ſæculi, in tuenda Eccleſiaſtica libertate.*

HÆc enim videtur hoc tempore eſſe lapis offenſionis, & petra ſcandali; & valdè difficile eſt ſic eam defendere, ut indignationem eorum non incurramus, vel ſic eam negligere, ut non incurramus in offenſionem Dei, & ejus Vicarij. Duo in re tam ardua mihi occurrunt, Primum, ut nihil temerè & ſine maturo conſilio agamus; & ſi nobis non adſint in præſentia viri periti, quorum conſilio fidere poſſimus; ſcribamus, ſi tempus patitur, ad abſentes. Alterum, ut ſic vivamus, ut intelligant Principes vel Principum adminiſtri, nos non quærere occaſiones cum illis rixandi, ſed ſolo Dei timore & honore duci, ut libertatem Eccleſiæ defendamus; & alioquì

qui eorum amicitiam optare & magnificare; & reverà conemur officijs & beneficijs amicitiam illorum diligenter conſervare, & nutrire: multa enim Principes ſæculi amicis Epiſcopis concedunt, quæ non concederent ijs, quos adverſarios ſibi eſſe ſciunt, aut credunt.

## OCTAVA
# CONTROVERSIA
## EST

*De modo agendi cum conſanguineis, & affinibus.*

VIdetur enim vitium eſſe communis viris Eccleſiaſticis, ut nimio amore proſequantur affines, & conſanguineos; cum ex divino judicio ſæpe accidat, ut conſanguinei & affines Eccleſiaſticorum, quò modò magis locupletati, & impinguati relinquuntur, eò magis obliviſcantur benefactorum, & eò citiùs profundant bona ipſorum. Servanda eſt igitur acuratiſſimè regula Sacri Concilij Tridentini, (*a*) cujus hæc ſunt verba. *Omnino*



(*a*) *Seſſ.* 25. *Cap.* 1. *de Reform.*

*ninò eis ( Epiſcopis ) interdicit, ne ex reditibus Eccleſiæ conſanguineos, familiaresve ſuos augere ſtudeant; cum Apoſtolorum Canones prohibeant ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent; ſed ſi pauperes ſint, ijs ut pauperibus diſtribuant.* Quam regulam jam olim Sanctus Auguſtinus exemplo ſuo confirmavit: ſic enim ſcribit Poſſidius in ejus vita prope finem: *Nec ſuos conſanguineos in ſua vita & morte, more vulgi, tractavit; quibus dum adhuc ſupereſſet, id, ſi opus fuit, quod & ceteris, erogavit, non ut divitias haberent, ſed ut aut non egerent, aut minùs egerent.* Idem ante Sanctum Auguſtinum docuit Sanctus Ambroſius: ( *a* ) *Eſt enim*, inquit, *illa probanda liberalitas, ut proximos ſeminis tui non deſpicias, ſi egere cognoſcas; non tamen ut illi ditiores fieri velint ex eo, quod tu poſſes conferre pauperibus: neque enim propterea te Domino dicaſti, ut tuos divites facias, ſed ut vitam tibi perpetuam fructu boni operis acquiras.*

( *a* ) *Lib. 1. de Officijs, Cap.* 10.

NONA

Digitized by Google

## NONA ET ULTIMA
# CONTROVERSIA
## EST

*De reditibus Eccleſiaſticis: in quos uſus expendi debeant.*

NOn diſputo quæſtionem illam, an Prælati ſint verè domini redituum Eccleſiaſticorum, & an teneantur reſtituere, quæ malè expenderunt. Parum enim refert, utrùm Prælatus damnetur ad infernos, quia peccavit contrà juſtitiam, an quia peccavit contrà charitatem, non bene diſtribuendo facultates ſuas. Solùm quæro, in quos uſus debeat expendere ſuas Eccleſiaſticas facultates, ut non amittat vitam æternam, & quidem Veteres Patres valdè rigidi erant: Sanctus enim Hieronymus (*a*) ſcribit, Clericum qui habuerit partem in terra, non futuram partem Domini, nec Dominum partem ejus. Et Sanctus Proſper

(*a*) *Epiſt. ad Nepotian.*

Proſper (*a*) docet, Epiſcopum non poſſe vivere ex bonis Eccleſiæ ſi habuerit patrimonium, niſi fortè patrimonium ſuum Eccleſiæ donaverit: *Expedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & amore perfectionis proprias contemni: non enim propriæ ſunt, ſed communes Eccleſiæ facultates: & ideò quiſquis omnibus, quæ habuit, dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemptor; cum præpoſitus fuerit factus Eccleſiæ, omnium quæ habet Eccleſia, efficitur diſpenſator &c. Quod habet Eccleſia cum omnibus nihil habentibus habet commune; nec aliquid inde eis, qui ſibi de ſuo ſufficiunt, debet erogare: quando nihil aliud ſit habentibus dare quàm perdere. Illis quoque, qui vel idonei nil quidem ſibi dari velut debitum poſcunt, ſed tamen Eccleſiæ vivunt ſumptibus, non eſt meum dicere quali peccato cibos pauperum præſumendos ſuſcipiant, juvare de proprijs facultatibus debuerunt, qui Eccleſiam, quam ſuis expenſis inſuper gravant, &c.* Et paulò poſt. *Dura ſunt, quæ dico, nec ego diffiteor: Dura ſunt; ſed obſervare nolentibus, &c. Nam quæro quid eorum ſit,*

(*a*) *Lib. 2. de Vita Contempl. cap. 9. & ſeqq.*

Digitized by Google

*ſit, quæ dixi, difficile; ut homo, id quod opus non habet, ab Eccleſia non accipiat, an ut quod habet ſine cauſa contemnat? Si propter hoc non vult ſua relinquere, ut habeat unde vivat; ut quid accipit unde rationem reddat? ut quid de peccatis alienis ſua multiplicat?* Et Cap. 2. *Itaque Sacerdos, cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolùm ſine cupiditate, etiam cum laude pietatis, accipit populo diſpenſanda & fideliter diſpenſat accepta, qui omnia ſua aut parentibus relinquit, aut pauperibus diſtribuit, & ſe in numerum pauperum, paupertatis, amore conſtituit; ita ut unde pauperibus ſubminiſtret, inde & ipſe tamquàm pauper voluntarius vivat.*

Sanctus Bernardus in declamatione ſuper illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia*, adhuc ſeveriùs, & rigidiùs loquitur. Sed ſcholaſtici Doctores mitiorem ſententiam ſunt ſequuti: Sanctus enim Thomas (*a*) diſtinguit de bonis Eccleſiaſticis: alicubi enim ſunt diſtinctæ portiones Epiſcopi, Cleri, Eccleſiæ materialis, & pauperum; alicubi non ſunt diſtinctæ;

(*a*) 2. 2. Q. 18. 5. *art.* 7.

diſtinctæ ; ſed fidei Epiſcopi permiſſum eſt, ut ex reditibus Eccleſiaſticis partem diſtribuat Clericis, partem pauperibus, partem inſumat in reſtaurationem Eccleſiæ materialis, partem ſibi reſervet ad modicam ſuſtentationem ſuam. Certum eſt enim ad hos omnes fines donata fuiſſe Deo bona Eccleſiaſtica. Et ſi quidem portiones diſtinctæ ſunt, nulla dubitatio eſſe poteſt, quin Epiſcopi ſolà ſuà portione contenti eſſe debeant. Si verò diſtinctæ non ſint, ut in pleriſque locis accidit, certum eſt peccare mortaliter eos Epiſcopos, qui non ſunt contenti frugali menſà, & tenui ſuppellectili, & reliqua non inſumunt in reparationem Eccleſiæ, & uſum pauperum. Sed placet ipſum Sanctum audire ; Sic ergò reſpondet : „ Dicendum „ quòd aliter eſt de proprijs bonis, quæ Epiſcopi „ poſſidere poſſunt, & de bonis Eccleſiaſticis : „ nam propriorum bonorum dominium habent. „ Unde ex ipſa rerum conditione non obligantur „ ut ea alijs conferant ; ſed poſſunt ea vel ſibi reti- „ nere, vel pro libitu etiam alijs elargiri. Poſ- „ ſunt tamen in earum diſpenſatione peccare, vel propter

„ propter inordinationem affectûs, per quam con„ tingit, vel quòd ſibi plura conferant, quàm opor„ teat, vel alijs etiam non ſubveniant ſecundùm quod „ requirit debitum charitatis. Non tamen tenen„ tur ad reſtitutionem, quia hujuſmodi res ſunt „ eorum dominio deputatæ; ſed Eccleſiaſticorum „ bonorum ſunt diſpenſatores, vel procuratores. „ Dicit enim Auguſtinus ad Bonifacium: *Si priva„ tum poſſidemus, quod nobis ſufficiat; non ſunt illa no„ ſtra, ſed pauperum quorum procurationem quodammodo „ gerimus; non proprietatem nobis uſurpatione damnabili „ vendicamus.* Ad diſpenſatorem autem requi„ ritur bona fides, ſecundùm illud. (*a*) *Hic jam „ quæritur inter diſenſpatores ut fidelis quis inveniatur.* „ Sunt autem bona non ſolùm in uſus paupe„ rum, ſed etiam ad cultum divinum & neceſſi„ tates miniſtrorum expendenda. Unde dicitur **12.** „ *quæſt.* **2**. de reditibus Eccleſiæ vel oblatione fi„ delium: *Sola Epiſcopo ex his una portio mittatur; „ duæ Ecclaſiaſticis fabricis & erogationi pauperum profu„ turæ à Presbytero ſub periculo ſui Ordinis miniſtrentur, „ ultima Clericis pro ſingulorum meritis dividatur.* Si

(*a*) 1. *Cor.* 4.

„ ergo diſtincta ſint bona ; quæ debent in uſum „ Epiſcopi cedere, ab his quæ ſunt pauperibus, „ & miniſtris & cultui Eccleſiæ eroganda ; & „ aliquid ſibi retinuerit Epiſcopus de his quæ ſunt „ pauperibus eroganda, vel etiam in uſum mini- „ ſtrorum aut in cultum divinum expendenda ; „ non eſt dubium quòd contra fidem diſpenſationis „ agit, & mortaliter peccat, & ad reſtitutionem „ tenetur. De his autem quæ ſunt ſpecialiter ſuo „ uſui deputata, videtur eſſe eadem ratio quæ eſt „ de proprijs bonis, ſcilicet propter immoderatum „ affectum & uſum : peccare quidem, ſi immode- „ ratè ſibi retineat, & alijs non ſubveniat, ſicut „ requirit debitum charitatis. Si verò non ſunt „ prædicta bona diſtincta ; eorum diſtributio fidei „ ejus committitur ; & ſi quidem in modico defi- „ ciat vel ſuperabundet, poteſt hoc fieri abſque bonæ „ fidei detrimento ; quia non poteſt homo in talibus „ punctualiter accipere illud quod fieri oportet. „ Si verò ſit multus exceſſus, non poteſt latere ; „ unde videtur bonæ fidei repugnare ; & ideò non

eſt

„ eſt abſque peccato mortali: dicitur enim *Math.*
„ 24. *Quodſi dixerit malus ſervus in corde ſuo , mo-*
„ *ram facit Dominus meus venire* , quod pertinet ad
divini judicij contemptum , *& cæperit percutere*
*conſervos ſuos* , quod pertinet ad ſuperbiam , *man-*
„ *ducet autem & bibat cum ebrioſis* , quod pertinet
„ ad luxuriam ; *veniens Dominus ſervi illius in qua die*
„ *non ſperat* , *& dividet eum* , ſcilicet à ſocietate bo-
„ norum *& partem ejus ponet cum hypocritis* , ſcilicet
„ in inferno.

Ex his facilè colligi poteſt, utrùm licet Epiſcopis theſaurizare , vel multam familiam famulorum alere , vel in ludis , & convivijs , & venationibus pecuniam perdere , aut in exſtruendis , vel ordinandís Palatijs , & hortis , more Regum , theſauros Eccleſiæ inſumere. In hanc rem *Cajetanus his verbis* ( *a* ) *Dixi alteram conditionem* , quia altera jam dicta erat, ſcilicet , quòd non det de debitis alijs, ſed de deputatis uſui Epiſcopi. *Nam de debitis Eccleſiæ , aut pauperibus , non poteſt , niſi ſicut uni alteri*



( *a* ) *in* 2. 2. *D. Thomæ, Q.* 185. *art.* 7.

*pauperi diſtribuenda dare ; ſed de ſuo deputatis uſui poteſt pro ſuo libitu dare.* (*a*) *Vide quòd Clericus ſeu Epiſcopus quantacumque habeat patrimonialia, poteſt de Eccleſiaſtica præbenda vivere, niſi in articulo neceſſitatis, &c. In qua etiamſi peccaret vivendo de ſua præbenda; non tenetur tamen ad reſtitutionem, quia peccatum conſiſteret in abuſu quo non ſubveniret alijs quando ſubveniendum eſt. Libertas autem à reſtitutione conſurgeret ex eo quòd præbenda ſe habet ut proprium Clerici vel Epiſcopi bonum.*(*b*) *Videte, qui augendis Eccleſiarum proventibus tam laudabiliter creditis vos vacare, tabeſcentibus pauperibus, & utinam non areſcentibus! quoniam peccatis, juxtà authoris ſententiam, tot pauperes cives, pupillos, orphanos, viduaſque poſthabendo.*

Et Dominicus Soto ſic habet : (*c*) *Epiſcopi exuere non debent antiquam illam Eccleſiæ pulchritudinem, quæ in ſubſidio pauperum elucebat, nimirùm quando Apoſtoli, Diaconorum miniſterio, tam impensè viduarum, orphanorum, indigentiumque curam gerebant. Neque verò debent*

(*a*) *Ibid. Reſp. ad* 3.
(*b*) *Ibid. Reſp. ad.* 4.
(*c*) *Lib. I. de juſt. & jure. Q.* 4. *art.* 4.

Digitized by Google

*bent prorsùs de memoria delere Eccleſiaſticos fructus ſpirituales eſſe, in gratiam divini cultus, & peculariter in honorem Chriſti expenſos, cui tam cordi fuit pauperes ſuæ familiæ commendare, ac potiſſimum Paſtoribus, quibus illam fidenter commiſit.* Tertiò accedit hùc, quòd caput ipſum præcepti miſericordiæ, nempe rerum redundantia & ſuperfluitas, ceteris paribus, multò major eſt, aut eſſe debet in Epiſcopis quàm in ſæcularibus. Primùm enim frugaliùs vivere debent, multoque cum minori pompa, quàm divites mundi. Neque conviviorum ſplendor, aut lautities illis eſt licita, neque alius domeſticus apparatus. Nam, ut ait Hieronymus. De altari illis vivere fas eſt, non luxuriari. Prætereà cum uxoribus careant, eximio inde ſumptu eripiuntur, quo mariti premuntur. Atque adeò cum neque proles habeant, quibus debeant majoricatus inſtituere, aut aliter in perpetuum providere; non alios debent habere filios quàm pauperes, neque conſanguineis aliter providere quàm pauperibus. Haud enim his debet erogare quibus ſua ſufficiunt, ut *habetur cap. Paſtor Eccl.* 12. *q.* 2.

Ad

Ad has novem Controverſias planè dijudicandas, & conſcientiam bonam & rectam conſtituendam, & ſpem vitæ æternæ veræ acquirendam, plurimùm prodeſt vitas ſanctorum Epiſcoporum aſſiduè legere, inter quas non ultimo loco ponenda eſt vita Sancti Caroli Cardinalis & Epiſcopi Mediolanenſis, qui noſtro ſæculo vixit, & omnes partes optimi Antiſtitis, ſive in reſidendo, ſive in prædicando, ſive in vitæ perfectione, ſive in matura Clericorum ordinatione, ſive in beneficiorum multiplicitate reſecanda, atque à ſe abjicienda, ſive in libertate Eccleſiæ prudenter & fortiter conſervanda, ſive in affectu ergà conſanguineos moderando, ſive denique in effuſione divitiarum ergà pauperes, & admirandâ & quaſi nimia parcitate ergà ſe ipſum, luculenter & mirabiliter adimplevit

# MONITUM.

Digitized by Google

# MONITUM.

QUandoquidem in ſermone de Conſecratione Epiſcopi incidit mentio de Admonitione Legatorum S. Sedis Apoſtolicæ ad Patres Concilij Tridentini; maximè convenire arbitramur, horum Actorum collectioni hoc præclariſſimo monumento finem facere. In eo quippe dum ſummâ, & quæ tantos Auctores decebat, rerum divinarum humanarumque ſcientiâ, malorum fontes referantur, quanta jugiter adhibenda ſit cura in fovenda Eccleſiæ diſciplina, & quo fundamento Epiſtolæ, Hortationes, Monita, & Sermones habiti nitantur, quiſque facilè dignoſcere poterit. Ut verò omnes, qui in ſortem Domini vocati ſunt, quique in his Provincijs paſtorali ſollicitudine paſcendis Chriſti ovibus invigilant, rem totam huic collectioni junctam, & ante oculos explicatam ha-

beant

beant, neque alibi quærere teneantur, unde neceſſaria bonorum morum reductio à Tridentinis Patribus inſtaurata emanaverit, rursùs typis traditam hanc ſapientiſſimam admonitionem ipſis exhibere conſultum duximus: cujus quidem ſenſum, mentemque tunc optimè aſſequentur, quum in aſſerenda Eccleſiæ diſciplina, Summorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate firmata, vel in Catholicæ Religionis propagandæ cura ſuſcipienda, nullâ aut vi, aut multitudine hoſtium percellentur, nullâ vel difficultate frangentur, vel moleſtiâ debilitabuntur; & nullo denique periculo ſe patientur deterreri.

ADMO-

# ADMONITIO
ATQUE
# HORTATIO LEGATORUM
SEDIS APOSTOLICÆ

*AD*

# PATRES IN CONCILIO
TRIDENTINO LECTA IN PRIMA SESSIONE.

REverendiſſimi Patres &c. Cum ipſa muneris noſtri ratio, qui in hac ſancta ſynodo præſidentium, & Sedis Apoſtolicæ Legatorum perſonam gerimus, hoc poſtulatura videatur, ut creſcentibus negotijs, quæ in hoc ſacro conſeſſu ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem ſunt expe-



Digitized by Google

dienda, ſæpiùs apud vos cohortandi, & commonendi causâ verba faciamus; tùm verò in hac prima ſeſſione, quæ felix (ut ſperamus) principium ipſi Concilio eſt datura, minimè hoc à nobis prætermittendum duximus. Eò verò libentiùs hoc officio fungimur; quòd cum vos vel hortamur, ut ea faciatis, quæ digna tanto conventu ſint, vel à contrarijs dehortamur, nosmetipſos etiam hortamur, ac dehortamur, qui in eadem quaſi navi vobiſcum ſumus, ijſdemque periculis, quibus vos, ijſdem tempeſtatibus ſubjicimur. Nosmetipſos, inquam, excitamus ad vigilandum, ne vel in ſcopulos incidamus, qui plurimi procul dubio in hoc curſu ſeſe offerent: vel magnitudine negotiorum, tanquàm fluctuum, obrui nos negligentiâ noſtrâ patiamur: verùm ſpe & fide erecti, eò navigationem dirigamus, quò maximè portus ſalutis ad Dei gloriam in Chriſto JESU ſeſe oſtendet.

Igitur, ut ab eo incipiamus, de quo maximè in hoc principio admonendi omnes ſumus, unuſquiſque noſtrûm ante oculos ſibi imprimìs proponere

nere debet, quænam ſint, quæ ab hoc ſacro Concilio expectentur: ex quo quiſque facilè intelliget, quantum ſibi oneris incumbat. Sunt verò ea ( ut omnia ſummatìm complectamur ) quæ in Bulla Indictionis Concilij continentur: nempe hæreſum extirpatio, diſciplinæ Eccleſiaſticæ & morum reformatio, ac tandem pax externa totius Eccleſiæ. Hæc ergò ſunt; quæ nos curare, vel potiùs pro quibus aſſiduè orare, ut Dei benignitate fiant, oportet. Atque illud eſt, de quo ante omnia in ipſo Concilij exordio omnes & ſingulos, qui hùc convenimus, primùm autem nos ipſos; qui in tam ſancto miniſterio præſidemus, admonendos duximus; ne unquam cogitemus, vel per ſingulos qui hic adſunt, vel per univerſum Concilium, etiamſi omnes Paſtores ex univerſo terrarum orbe hùc coirent, tantis malis, quibus nunc grex Chriſti eſt oppreſſus, provideri poſſe. Si enim putamus hoc à nobis perfici poſſe, aut ab alio, quàm ab ipſo Chriſto; quem Deus Pater

 unicum

unicum nobis ſervatorem, & Paſtorem dedit; cui etiam omnem poteſtatem dedit; erramus ſanè in fundamento omnium actionum noſtrarum, & divinam iram magis provocabimus. Adjungimus enim ad ſuperiora mala, quæ propterea nobis acciderunt, quòd ipſum fontem aquæ vivæ reliquimus, hoc alterum maximum peccatum, quòd noſtrâ vel prudentiâ, vel potentiâ, iiſdem malis mederi velimus: ut meritò de nobis dicatur, quod Propheta in perſona Dei veterem populum accuſans, dicit: (*a*) *Duo mala fecit populus hic, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt ſibi ciſternas non valentes continere aquas.* Tales verò ciſternæ ſunt omnia conſilia, quæ à noſtra prudentia, non afflata ſpiritu divino, proficiſcuntur: quæ non modò populos in pietate & obedientia, tanquàm aquas in ciſternis, continere non valent: ſed quò magis his artibus retinere eos laboramus, eò violentiùs tanquàm torrentes à nobis defluunt, & diſcedunt: ut ſuperiorum annorum experientia multis in locis ſatis nos

(*a*) *Iſaiæ* 2.

Digitized by Google

nos docere poteſt, & nunc admonere, unicam tantùm viam medendis his malis relictam, ſi noſtra omnia remedia inutilia eſſe agnoſcentes, & valere potiùs ad augenda, quàm ad tollenda mala, ad Chriſti potentiam, quem dexteram ſuam Deus Pater appellat, ad Chriſti ſapientiam, qui eſt ſapientia Patris, in omnibus nos, qui Patrum perſonam gerimus, fide, & ſpe confugiamus, hujus nos in omnibus miniſtros eſſe cognoſcamus. *Hic* verò *quæritur*, inquit Apoſtolus, (*a*) *inter diſpenſatores, ut fidelis, quis inveniatur.* Hoc autem agendum nunc nobis eſt, (*b*) ut miniſtros nos in omnibus idoneos præbeamus. Erimus verò idonei, ſi nos ex nobis minimè idoneos eſſe judicaverimus. Quis enim (inquit idem Apoſtolus) ad hæc idoneus? (*c*) ut qui ne cogitare quidem aliquid ex nobis, quaſi ex nobis ſimus ſufficientes. Verùm hoc fateri non ſatis eſt nobis: hoc dicere potuit Apoſtolus, & per hanc portam ingredi & obeundum munus

(*a*) *I. Corinth.* 4.
(*b*) *II. Corinth.* 3.
(*c*) *II. Corinth.* 3.

munus ſuum, & in eo ſe miniſtrum fidelem, ac idoneum oſtendere, qui ſimul dicere potuit, de miniſterio ſuo loquens: (*a*) *Nihil mihi conſcius ſum.* Nobis verò, qui ſi verum fateri volumus, aliter dicere non poſſumus, quin nobis conſcij ſimus, in adminiſtrando munere nobis impoſito, in plurimis defeciſſe, & horum etiam malorum, ad quæ corrigenda vocamur, non minima ex parte cauſam extitiſſe, non ſatis eſt hìc fateri, ad tantum munus nos impares eſſe. Quid ergo nobis agendum, ut idonei hoc tempore, Chriſti miniſtri in Eccleſia inſtauranda eſſe poſſimus? (*b*) Idem prorſus, quod Chriſtus ipſe Epiſcopus animarum noſtrarum fecit, cum venit ad fundandam, & formandam Eccleſiam ſuam. Idem ſanè, Patres, faciendum erit nobis, quod ipſa ſapientia Patris fecit, cum venit, ut multos filios in gloriam adduceret: id quod nobis item propoſitum nunc eſſe debet. Is enim cum oppreſſos peccatis omnes inveniſſet, omnia omnium peccata in ſeipſum trans-

(*a*) *I. Corinth.* 4.
(*b*) *I. Petr.* 2.

tranſtulit, ſeque unum ante Deum pro omnibus reum, & nocentem conſtituit, tanquàm omnia ſcelera, quæ nos commiſeramus, ipſe commiſiſſet; cum tamen ab omni labe peccati puriſſimus eſſet: quippe (*a*) *Qui peccatum non fecit, neque unquam inventus eſt dolus in ore ejus.* Quod verò Chriſtus pro immenſa ſua caritate erga Patrem & pro miſericordia erga noſtrum genus fecit: hoc nunc, ut ipſi faciamus, juſtitia ipſa à nobis flagitat, ut omnium horum malorum, quibus grex Chriſti eſt oppreſſus, nos Paſtores coràm tribunali miſericordiæ DEI reos conſtituamus; atque omnium peccata in nos ipſos non tam piè, quàm juſtè transferentes, quia reverà horum malorum magna ex parte nos cauſa ſumus, divinam miſericordiam per JESUM Chriſtum imploremus. Quod verò dicimus, nos Paſtores his malis, quibus Eccleſia eſt oppreſſa, cauſam dediſſe, ſi quis hoc acrius, & magis per exagerationem quamdam verborum, quàm verè dictum exiſtimet; hoc quidem ipſâ rerum experientiâ, quæ

(*a*) 1. *Petri* 2.

quæ mentiri non poteſt, comprobabit. Reſpiciamus ergo paululùm ad ipſa mala, quibus Eccleſia opprimitur, ac ſimul etiam ad noſtra peccata. Sed quis hæc numerare valeat? quæ ſimul cum reliquis malis multitudine ſuperant arenam maris; & uſque ad cœlum clamant.

Circumſcribamus ergo tantam multitudinem noſtrorum malorum illis limitibus, quibus hoc Concilium, quod capitalibus malis medendis eſt vocatum, ea circumſcripſit. Sunt verò illa tria quæ ſupra commemoravimus, hæreſes, lapſa morum diſciplina, & inteſtinum bellum. Hìc ergo videamus, & conſideremus, cum jam multis annis Eccleſia his calamitatibus vexetur, undenam ipſa originem habuerunt: num illis nos quodam modo principium, num fomentum dederimus. Primùm verò examinemus initium hæreſum, quæ hâc noſtrâ ætate paſſim pullularunt; quibus ſi negare volumus nos principium dediſſe, quia nullius hæreſeos ipſi auctores fuimus: tamen cum perverſæ de fide ſententiæ, tanquam vepres quædam ſint, & ſpinæ, quæ in agro Domini, qui nobis

nobis colendus commendatus eſt, ortæ ſunt: & ſi illæ quidem ſuâ ſponte, ut ſolent aliquando vitioſæ herbæ, pullularunt; tamen qui non coluit quem debuit agrum, qui non ſeminavit, qui pullulantes per ſe non ſtatim curam adhibuit, ut extirparet; non minùs quidem principium illis dediſſe dicendus eſt, quàm ſi ipſas ſeminaverit, præſertim cum hæc omnia à negligentia agricolæ ortum ducant, & incrementum habeant. Hic ergo ſe ipſos excutiant, qui ſunt agricolæ in agro Domini, conſcientiam ſuam interrogent, quomodò in eo colendo, quomodò in ſeminando ſe geſſerint. Quod qui fecerint his præſertim temporibus, quibus pauciſſimi agro Domini colendo incumbunt, non multum credimus, dubitabunt, num ad ipſos pullulantium paſſim in Eccleſia hæreſum culpa pertineat. Hæc verò, monendi tantùm causâ, dicta ſatis ſint de his, quæ ad primum caput pertinent.

Veniamus ad ſecundum, quod lapſum morum diſciplinam, & abuſus (ut vocant) complectitur. Hìc verò nihil attinet diù inveſtigare, quinam tantorum malorum auctores fuerint, cum præter Nos ipſos ne nominare quidem ullum alium auctorem poſſimus.

Quare ad tertium accedamus, quod impedita pacis Eccleſiæ in ſe continet: qualia ſunt arma, vel domeſtica, vel externa: hæc enim jampridem pacem Eccleſiæ perturbarunt, & adhuc perturbant, de quibus hoc tantùm dicimus: ſi (quod Deus ipſe certiſſimis ſignis oſtendit) hæc arma flagella ejus ſunt, quibus nos affligit: quia duorum priorum capitum rei ſumus, in quibus nos excuſare non poſſimus, etiam horum armorum præcipuam nos cauſam eſſe, negare non poſſumus. Ejusmodi verò flagella Deum ob cauſam immittere cenſemus, ut nos peccantes caſtiget, & peccata ipſa, quibus Majeſtatem ejus maximè

ximè offendimus, nobis ante oculos ponat. Hic verò quiſquis aliquando animadvertit, quibus modis Eccleſia armorum violentià vexata fuerit, ſecum ipſe conſideret, quænam illa ſint, in quibus præcipuè Eccleſia propter ipſa arma detrimentum patiatur. Nec verò hic refert de quorum armis loquamur, ſive de inteſtinis noſtrorum Principum, ſive de externis Turcarum armis, quæ ſuperioribus annis nos magnis calamitatibus affecerunt, ſive ad eorum, qui ab obedientia ſuorum Paſtorum diſceſſerunt, & ipſos à ſuis ſedibus expulerunt. Hoc enim ſummatim dicimus de omni genere armorum, ſi qui illa contra nos tractarunt, à ſuis Eccleſijs Paſtores fugarunt, ordines confuderunt, laicos autem in Epiſcoporum locum ſuffecerunt, Eccleſiæ bona diripuerunt, curſum verbi Dei impediverunt.

Hic inquam, dicimus, nihil horum eſſe, quod in libro abuſuum Paſtorum maxima illorum pars, qui hoc nomen ſibi vindicant, per ſe factum eſſe, ſi legere libuerit, non ſcriptum apertis

verbis inveniat. Noſtram enim ambitionem, noſtram avaritiam, noſtras cupiditates his omnibus malis populum Dei priùs affeciſſe ſtatim inveniet, atque harum vi ab Eccleſijs Paſtores fugari, eaſque, pabulo verbi privari: bona Eccleſiarum, quæ ſunt bona pauperum, ab illis tolli; indignis ſacerdotia conferri; & illis qui nihil à Laicis, prætérquam in veſtis genere, ac ne in hoc quidem differunt, dari. Quid enim horum eſt, quod negare poſſimus per hos annos à nobis factum eſſe? Quare ſi Turca, ſi hæretici hoc idem adversùs nos faciunt, quid hic aliud, quàm flagitia noſtra, & ſimul juſtum Dei judicium videmus? Judicium verò plenum miſericordiâ: ſi enim pro meritis nos caſtigaret, jam pridem ſicut Sodoma & Gomorrha fuiſſemus.

Cur verò hæc nunc commemoramus? an ut vos confundamus? abſit; ſed magis, ut vos ceu Patres & Fratres cariſſimos, primùm autem noſmetipſos admoneamus, quo pacto hæc, quibus nunc affligimur, flagella, & graviora, quæ impendent,

pendent, niſi reſipiſciamus, vitare poſſimus; ut effugiamus tremendum illud Dei judicium, omnibus quidem non reſipiſcentibus tremendum, maximè verò illis qui præſunt. (*a*) *Judicium enim grave* (inquit ſcriptura) *his qui præſunt, fiet.* Judicium verò incipere nunc videmus à domo Dei. Dum enim nunc ejiciuntur Sacerdotes, dum conculcantur ab hominibus, quid aliud hoc indicat, quàm divinum de nobis judicium, quod prædixit Chriſtus cum diceret: (*b*) *Sacerdotes ſuos, eſſe ſal terræ: quod ſi ſal evanuerit, ad nihil valere ultrà, niſi ut eijciatur foras, & conculcetur ab hominibus?* Hæc verò omnia nos nunc patimur. Quòd ſi propter juſtitiam, ut noſtri majores, beati nos quidem: at nunc juſtè quidem, quia ſal evanuit: minimè autem propter juſtitiam patimur, in omnibus enim noſtris afflictionibus videmus judicium Dei: atque utinam quidem illud videremus, hoc enim initium eſſet omnia Dei judicia & flagella effugiendi, atque in gratiam, & in veram gloriam in-

(*a*) *Sap.* 5.

(*b*) *Matth.* 5.

Digitized by Google

ingrediendi; quæ res fecit, ut in his commemorandis acriores ; & longiores fuerimus: niſi enim hæc bene cognita, & perſpecta fuerint, fruſtrà intramus in Concilium, fruſtrà invocamus Spiritum Sanctum, qui primum ingreſſum in animam hominis ſemper facere ſolet, per ipſius hominis condemnationem, ut condemnet mundum de peccato.

Quare niſi ille ſpiritus nos apud noſmetipſos primùm condemnaverit, nondùm illum ingreſſum eſſe ad nos affirmare poſſumus, ac ne ingreſſurum quidem, ſi peccata noſtra audire recuſamus. Idem enim dicetur nobis quod populo veteri per Prophetam Ezechielem eſt dictum, cum nondùm, agnitis ſuis ſceleribus, Deum per Prophetam interrogare vellent, ſic autem ait Propheta. (*a*) *Venerunt viri Iſrael ad interrogandum Dominum, & ſederunt coram me. Hæc autem dicit Dominus: Numquid ad interrogandum me veniſtis? Vivo ego, dicit Dominus, quia non reſpondebo vobis.* Sequitur autem: *Si judicas eos, abominationes patrum illorum oſtende illis.*

In

(*a*) *Ezchielis* 20.

Digitized by Google

In quibus verbis oſtendit Deus, quare noluerit reſpondere illis, quia nondum ſcilicet abominationes ſuas, & patrum ſuorum audierant. Quarè cum idem DEI Spiritus ſit; qui tum dabat reſponſa, & quem nunc nos ſedentes coràm Domino invocamus: quid nobis faciendum ſit, ut propoſita reſponſa habeamus, ex his videtis: & ſimul quàm neceſſariò nos, qui præſidemus in hoc ſacro conſeſſu, à detegendis noſtris peccatis, ſermonis exordium vobiſcum duximus.

Quia verò nonnullos nunc videmus, ſua primùm peccata, & noſtri Ordinis graviter deflentes, atque Dei miſericordiam omnibus votis implorantes, ideò quidem in maxima ſpe ſumus, ad nos veniſſe, quem invocamus Dei Spiritum. Hoc verò maximum pignus divinæ miſericordiæ habemus, nempe ipſam hanc inchoationem Concilij, in quo nunc convenimus ad erigendam, & inſtaurandam penè collapſam Eccleſiam, ut vetus populus poſt diuturnam captivitatem apud externos Reges, redijt Hieroſolymam ad inſtaurandum templum.

Digitized by Google

plum. In illius verò populi ſtatu, in illorum læta ad patriam profectione, & templi inſtauratione noſtri quidem temporis, & noſtri ſtatûs, in hoc præſertim Concilio, imaginem intueri poſſumus; & in Ducum ejuſdem populi exemplo, veſtrûm, qui Duces eſtis populo DEI, ad cœleſtem patriam contendenti, officium videre. Quarè omnes vos magnopere hortamur, ut ſæpiùs ad memoriam revocetis, quæ in Eſdræ, quæ in Nehemiæ, quæ etiam in Danielis libris ſunt ſcripta: in quibus conſilia omnium Ducum populi explicantur, quæ hunc unum ſemper ſcopum habuerunt, ut ſua, & populi, atque patrum peccata confitentes, ad pœnitentiam, & implorationem divinæ miſericordiæ omnes excitarent. Quod cum populus faceret, tum quidem omnia illis feliciter ſucceſſere. Eadem verò conſilia nobis, ſi felicem ſucceſſum & exitum expectare volumus in inſtauranda Eccleſia, ob quam cauſam læti huc in ſpiritu convenimus, ſequenda

quenda erunt : atque eò quidem magìs , quò etiam majora nobis certamina impendent inſtauraturis Eccleſiam , quàm illis inſtauraturis templum. Si enim illis multi , quominùs id perficeretur , ſe oppoſuere : ſi multi etiam , cum opus impedire non poſſent , eos irriſerunt : hoc quidem ſic habetote , nobis nec irriſores defuturos , nec qui maximis viribus à cœpto opere nos deterreant & avocent. (*a*) Habebimus verò non modò colluctationem cum carne , & ſanguine , ſed cum ſpiritualibus nequitijs in cœleſtibus. Verùm his omnibus potentior eſt is , in cujus nomine hoc opus ſumus aggreſſi. Quare in eo confidamus , ipſum precibus invocemus , & ipſe omnia perficiet.

Quia verò hoc Concilium cum deliberantium , tum verò judicantium ſpeciem refert , in quo & deliberantur de ijs , quæ ad univerſalis Eccleſiæ bonum pertinent , & etiam judicatur tam de rebus , quàm de perſonis : (*b*) Sedemus

 enim

(*a*) *Ephef.* 6.
(*b*) *Matth.* 19. *Luca* 22.

enim tanquam judicantes duodecim tribus Iſrael, quibus comprehenditur univerſus populus DEI. Ideo hìc maximè locus videtur nos ipſos admonendi, ut caveamus ab his, quæ vel conſultandi, vel judicandi vim in nobis depravare ſolent. Hæc verò ſunt ipſæ animi paſſiones: quæ ideò etiam perturbationes vocantur, quia rectum & verum de rebus judicium, & ſenſum perturbant, ac pervertunt: in quibus maximè illa ſunt cavenda, quæ rectè monet Ethnicus ille in concilijs abjicienda, cum dicit: (*a*) *Omnes homines, qui de rebus dubiis conſultant, ab ira, odio, amicitia, vacuos eſſe debere.* Nam cum in hæc omne genus hominum ſit propenſum, tum verò ij maximè, qui Principibus ſerviunt: tales enim vehementiores habent affectiones; facillimè autem ad gratiam loquuntur, vel ad odium: ut ſcilicet ipſos exiſtiment Principes affectos eſſe, à quibus mercedem expectant.

Cum verò de Principibus loquimur: tam de his qui Eccleſiaſtici vocantur, quàm qui ſæculares, loquimur. Ac licet quidem nos Principes Chriſtianos habere agnoſcamus & gaudemus; id quod in veteri, &

(*a*) *Cæſaris in Catilinam verba.* jam

jam recens fundata Eccleſia, patres noſtri non habuerunt: tamen ante omnia nobis in hoc Concilio ſemper eſt animadvertendum, hunc non eſſe locum laudandi aliquem, niſi ſolum Deum in Chriſto JEſu, atque illum ſolum juſtificandi, omne autem genus hominum condemnandi: primùm vero nos ipſos, qui loquimur, ut cum Daniele dicamus: (*a*) *Nobis confuſio faciei, Regibus noſtris, Principibus noſtris, & Patribus noſtris, qui peccaverunt: tibi autem Domino Deo noſtro miſericordia, & propitiatio; quia receſſimus à te & non audivimus vocem Domini Dei noſtri, ut ambularemus in lege ejus, quam poſuit nobis per ſervos ſuos Prophetas. Et omnis Iſrael prævaricati ſunt legem tuam, & ſtillavit ſuper nos maledictio, & deteſtatio.* Hic verò nunc locus eſſet, ut ejuſdem Prophetæ exemplum ſequentes, cujus verba modò recitavimus, non ſolùm noſtra, qui Sacerdotes ſumus, ſed populi, ſed Principum, coram DEO & Eccleſia ejus, peccata confiteremur, pro que omnibus veniam imploraremus. Sic verò dicit Daniel: (*b*) *Cumque adhuc loquerer, & orarem, & confi-*



(*a*) *Baruch I. Dan. 9.* (*b*) *Ibid.*

*fiterer peccata mea, & peccata populi mei.* Nomine populi hoc loco omnium ordinum perſonas complectens, ut ejus confeſſio, quam modò recitavimus, declarat.

Qua in re, quid nobis, qui pro ſalute univerſæ Eccleſiæ tantis malis oppreſſæ, hùc convenimus, faciendum ſit, ſatis indicare videtur: nimirum, ut noſtra, & ſimul Principum, ac populi peccata flentes confiteamur: id quod planè in ſpiritu mœroris ſatis nunc abundè facimus: verbis verò uberiùs faceremus, ſi ipſi Principes adeſſent, qui ſuam nobiſcum confeſſionem, & lacrymas conjungerent.

Ejuſmodi verò quaſi funiculis peccatorum, ut Prophetæ loquuntur, Sacerdotum ac Principum, atque ipſius populi peccata ſunt colligata, ut difficile ſit de unius ordinis peccatis inquirere, quin reliquorum ſimul ordinum peccata appareant. Sic verò omnes Ordines unâ orationis ſerie accuſans, in veteri populo dicit Ezechiel in perſona DEI: (a) *Sacerdotes ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt*

(a) *Ezech.* 22.

*erunt ſanctuaria mea : inter ſacrum & profanum non habuerunt diſtantiam. Principes ejus in medio illius , quaſi lupi rapientes prædam ad effundendum ſanguinem , ad perdendas animas & avara ſectanda lucra. Populi terræ calumniabantur calumniam.* Hæc ille. Quæ utinam ad illa ſolùm tempora pertinerent , ac non noſtri quoque temporis imaginem referrent. Utinam cum de corruptela morum Sacerdotum loquimur, huic maximam occaſionem , maximam materiam , & auctoritatem , ipſos Principes , atque ipſum populum dediſſe negare poſſemus. Sed reprimamus nunc verba , uſque ad tempus magis opportunum , fontes autem communium lacrymarum aperiamus.

Redeamus verò ad eos , quos cœpimus admonendos , præſertim Epiſcopos , qui cum mandatis Principum hùc venerunt. Sic verò illos admonemus ; ut omni , quà poſſunt fide & diligentià ſuis Principibus ſerviant ; verùm ut Epiſcopos decet : ſic illis ſerviant , ut ſervi Dei , non ut ſervi

vi hominum. (*a*) *Nolite*, inquit Apoſtolus, *ſervi hominum eſſe.* Primùm verò ſerviant uni regi Chriſto, cui Deus Pater omnem poteſtatem dedit: deinde verò propter eum, omnibus: maximè autem Principibus: (*b*) *Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum.* Hortamur autem ut Principibus ſerviant ad honorem, quemadmodum eorum mandata verbis ipſis præ ſe ferunt: in quibus nihil ferè niſi honorificum, & ad publicam utilitatem ſpectans, proponitur. Sic verò in ſumma ſerviant, ut eorum officium in primis ſpectet ad honorem Dei, & utilitatem hujus Concilij, quod propter publicum bonum eſt convocatum.

Quare ut ab hoc maximè dehortamur omnes, qui hic ſententias coram Deo, & Angelis ejus, atque coram univerſa Eccleſia ſumus dicturi, ne ad gratiam hominis alicujus loquamur: ſic etiam multò magis, ne ad odium cujusquam ſententiam proferamus, etiamſi contra nos adverſarij, vel inimici, & hoſtis perſonam gerat: denique ut

(*a*) *Rom.* 13. (*b*) *I. Cor.* 7.

Digitized by Google

ut ab omni inter nos contentione abſtineamus, maxime optamus, & in Domino hortamur. Hæc enim ſunt, quæ contriſtant & repellunt, quem invocabimus Spiritum Sanctum, ſine quo nihil omninò facere poterimus, quod ad bonum, & pacem Eccleſiæ cedat. (*a*) *Cum enim*, inquit Apoſtolus, *ſint inter vos contentiones, nonne homines eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Cum verò homines eos appellat, Spiritus Dei expertes intellexit. In omnibus autem, quæ ad reformationem Eccleſiæ pertinent, ob quam cauſam convenimus, imitari nos oportet illum, qui eam primùm formavit: de quo ad hoc ipſum opus ingrediente, ſic in perſona Dei Propheta loquitur: (*b*) *Ecce ſervus meus, quem elegi: Dilectus meus, in quo bene complacuit anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum: judicium gentibus nunciabit; non contendet, neque clamabit; arundinem quaſſatam non confringet, & linum fumigans non extinguet.* Hunc verò Spiritum pacis, caritatis, & manſuetudinis, cum ſemper apud omnes, & cum omnibus oſtendere debeamus; tum verò maxime in hoc ſacro conſeſſu, in quo convenimus, ut per gratiam ipſius Spiritus,

(*a*) *I. Cor.* 3. (*b*) *Iſaiæ* 42.

Digitized by Google

Spiritus, contentionibus, quæ nimis diu Eccleſiam vexarunt, finis tandem imponatur.

Quare ne ipſi ullam contentionis cauſam alicui demus, qui pacificorum perſonam gerimus, maximè eſt cavendum. Hoc verò, & cetera omnia incommoda, & impedimenta pacis unico modo evitabimus, atque ad optatam pacis portum perveniemus, ſi precibus ab humili & contrito corde profectis, ipſum Chriſti Spiritum, *qui eſt pax noſtra*, invocaverimus; ut in hoc Concilio præſideat, ut lucem cordibus noſtris infundat; utque nos in omnibus ad ipſius honorem, & veram Eccleſiæ utilitatem regat, & dirigat. Ad tales enim ipſe dicit: *Adhuc te loquente, ecce adſum.* Quare ut ejusmodi orationibus aſſiduè incumbamus, quantâ poſſumus caritate vos in Domino hortamur, ut uno ore, atque uno Spiritu, Deum Patrem in Chriſto JESU glorificemus, qui eſt DEUS benedictus in ſæcula. Amen.

# FINIS.

Digitized by Google

# ERRATA CORRIGE.

*In Præfatione*

| | |
|---|---|
| Pag. 1. lin. 9. *mandanda eſſe* | mandare |
| — 3. lin. 14. *maximum* | plurimum |
| — 5. lin. 10. *illinita* | illitæ |
| — 6. lin. 14. *deſertos iri* | deſertos ire |

*In ipſo Opere*

| | |
|---|---|
| Pag. 8. lin. 19. *graviſſissima* | graviſſima |
| —11. lin. 16. *non vitam* | non vitam agere |
| —13. lin. 16. *deponere arceantur* | deponere : arceantur |
| —17. lin. 14. *acceptatores* | acceptores |
| —26. lin. 2. *decrevit* | decreverit |
| —28. lin. 3 *letitia* | lætitiæ |
| ——lin. 15. *abores* | labores |
| —30. lin. 15. *adytus* | adyti |
| —43. lin. 14. *dictitas* | dictites |
| —61. lin. 7. *oſtendes* | oſtenſurus ſis |
| —71. lin. 3. *imprudentia* | impudentiæ |
| —80. lin. 12. *ſummo diſcrimine* | ſummum Diſcrimen. |
| —83. lin. 6. *putamus* | putemus |
| —94. lin. 9. LECTOTOREM | LECTOREM |
| —131. lin. 9. *Cydon* | Sidon |

ANT 131647

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. C. 12.

Digitized by Google

Digitized by Google

7016

Digitized by Google

XV
F.20